BIBL. NAZ.
Vitt Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
321
NAPOLI

Digitized by Google

523884 Race. Vitt. C. 321

IN PEROTTINUM CODICEM MS.

REGIAE BIBLIOTHECAE NEAPOLITANAE;

QUO

Duae et triginta PHAEDRI Fabulae iam notae, totidem Novae, sex et triginta AVIANI vulgatae, et ipsius PEROTTI carmina inedita continentur,

CATALDI IANNELLII

EIUSDEM REGIAE BIBLIOTHECAE SCRIPTORIS

DISSERTATIONES TRES.

NEAPOLI 1811.

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

LECTORI SUO

CATALDUS IANNELLIUS

S.

Non dubito quin vehementer miratus fueris, Lector, quomodo Perottinum Codicem, abſtractis Prolegomenis suis, ex parte iam pridem excusis, emisiſſemus in lucem; quique duos ferme annos patienter ſuſtinueramus, vix duorum menſium moram ferre ultra minime potuiſſe, ut Diſſertationibus, quas modo recipis, ſuus ordo locusque ſervaretur. Verum aequi bonique te conſulturum id eſſe ſpero, quum factum noveris, ut mature cuipiam Plagio obviam iremus. Etenim I. Ant. Caſſittus, exemplari Perottini Codicis iam ante annum excuſi per quemdam Ardelionem ſibi comparato, Fabellarum novarum Lectiones paucis ante diebus inde excerpſerat, nullaque prorſus ſive noſtri, ſive cuiuslibet qui a Regia Bibliotheca eſſet, mentione iniecta, vulgare coeperat, ſe mirum in modum efferens, perinde ac ſi neſcio quid maximum et laude digniſſimum praeſtitiſſet. Quamobrem aequum fuit Perottinum Codicem illico vulgare, et audaciae hominis iſto pacto occurrere. Quod quidem conſilium eventu probatum eſt. Etenim quum Caſſittus

ſuam quatuor paginarum editionem pluribus dono miſiſſet, epiſtolâ enixe efflagitans, ut per epiſtolam pariter ſibi plauderent; nemo unus inventus eſt, quod ego quidem ſciverim, qui ei reſponderit, coeptumque ſuum probaſſet. Ex quo factum eſt ut et iſta editio, ſi tali nomine digna eſt, modo iam conciderit et evanuerit: Quamobrem ineptum Plagium haud amplius nos morabitur. Polliciti quidem ſumus Praefatione in Fabulas Phaedri ex Codice Perottino de iſta re heic abunde locuturos: Nam quum ea ſcribebamus (Kal. Martiis), pervenit ad aures noſtras rumor Caſſittum aliam quamdam inſuper viginti fere minoris formae pagellarum editionem parare, in cuius praefatione plura audaciſſime comminiſceretur; Quod verum comperi: Paucis enim poſt diebus adlatae nobis ſunt quaedam Caſſitti Schedulae typis excuſae, nonisque Martiis ſignatae, in quibus plura revera impudentia mendacia et prioribus abſurdiora ſuperſtruebantur. Quamobrem ut gliſcenti et contumaci petulantiae obviam irem totam rei hiſtoriolam ab ovo, ut dicitur, digerere ſtatim coepi, et quo pacto plagium confectum fuerit diſtinctiſſime ſcribere; Praeterea Regium Editionis noſtrae decretum anno 1808 emiſſum, ac penes Cl. Equitem Franciſcum Danielium Regiae Typographiae Praefectum aſſervatum, ut teſtimonia ampliſſimorum Praeſidum tum Regiae Bibliothecae, tum Regiae Typographiae, atque eorum etiam qui me unum iam pridem Perottinum Codicem cuſtodiiſſe et exſcripſiſſe norant ſimul contrahere ſta-

ſtatim adgreſſus ſum : Quin illuſtriora etiam eorum nomina colligere, qui ſub finem anni 1809, *vel per annum* 1810. *exemplaria Perottini Codicis excuſa viderant et tractaverant: inter quos ex advenis peculiari mentione digni ſunt doctiſſimus Eques Rosminius, eruditus et perurbanus Eques Boſſius, praeſtantiſſimus et praeclariſſimus Aſtronomus Franciſcus Orianus, qui omnes Fabellas novas et otio legit: eruditiſſimus et ornatiſſimus Ranierius Gerbius Piſanae Academiae ornamentum, qui non modo excuſum librum, et MS. hîc non ſemel verſavit, ſed veniâ etiam illuſtriſſimi Regiae Typographiae Praefecti exemplar Perottini Codicis, et partis etiam Prolegomenôn ſecum Piſas duxit. Verumtamen quum iſtam tertiam, ut vocat, editionem in lucem adhuc non emiſiſſet Caſſittus, nec amplius, ut puto, emittet: ideo aliâ inſuper moleſtiâ, Lector, liberare te volui, ingratamque narrationem, quantum potui, reſecare. Quin ſi Caſſittus illam revera editionem parat, ipſe potius diſtincte dicat, qui ii* pluſculi, *ut ait, fuerint, qui Perottinum MS. verſaverint, et exſcripſerint, expromat ſingillatim nomina, proferat teſtes, diſtinguat tempora; dicat qui MS. legendum tradiderit, ſi ego unus a ſexto menſe antequam priorem illam ſuam editionem vulgaſſet ſub ſerâ cuſtodio; quis veniam exſcribendi dederit, ſi Editio noſtra Regiae Bibliothecae Praeſidum iuſſu curabatur : Doceat nos tandem quos labores in Fabellis novis edendis exan-*

exantlaverit, et quae ſua ſint in eis inſtaurandis merita. Exſcripſit fortaſſe MS. Caſſittus? Haudquaquam. Sed omnino quaedam inde excerpſit Frater eius circa Aprilem menſem anni 1808, *ut poſtmodum comperi. Nam ego ad Codicem exſcribendum Iunio menſe eiusdem anni acceſſi, quo menſe primum in Scriptorem adlectus ſum, et plane neſcius, quod quiſpiam id occupaſſet: Nec per plures menſes aliquis inventus eſt qui ea de re me certiorem faceret. Et quis revera ſuſpicatus umquam fuiſſet quampiam ignotam evanidi et corrupti Codicis partem celeritate ſumma raptimque ad tentaminis potius ſpeciem per aliquot dies excerptam, nec ultra lectam, relectam, conlatam ad editionem parari potuiſſe? At legit ſaltem MS. Caſſittus? Minime, vidit tantummodo, et ſemel prorſus, et ad momentum temporis, et Cl. Andreſio indicante et adſtante. At ipſe primus Fabellas novas detexit. Falſo; nam praeter Cl. Andreſium, qui ſaepe et otio MS. verſaverat* (1), *eas noverant Dorvillius et Burmannus. Ille enim huic ſcribebat* (2): Se vidiſſe ipſum Perotti Codicem, in quem ille omnis generis Fabulas Aeſopias, Phaedri, Avieni, et ſuas (3), *nempe novas*, non uno Carminum genere con-

tu-

(1) V. Eumd. Cl. Andres. Dell' origin. progres. e stato di ogni Letteratur. Tom. II. Libr. I. c. 6. not. (*) Edit. Roman. 1808.

(2) V. Burmann. Praefat. in Phedr. suum cum Comm. novo.

(3) V. Dissert. nostr. II. Cap. I. §. XIV. pag. XC.

tulerit. *Nec revera quiſpiam eſſe poteſt vel mediocriter eruditus, qui MS. verſans, fragmenta ſaltem quaedam novarum Fabularum in eo ſervari ſtatim non deprehendat. At ipſe primus Fabellas novas Phaedro inſcripſit. Id verum: Quin ego tum ſcribebam praeſtolandum eſſe Doctorum Virorum iudicium* (1). *Sed eadem fiduciâ Caſſittus quatuor ante annis Fabulam quampiam ex inepta proſa a ſe in neſcio quos iambos coercitam Phaedro plane ſolemniter inſcripſit; et in editione Fabularum novarum plures verſiculos ex Perotti proſa confectos Phaedro pariter adtribuit. At ſupplementa etiam adiecit. Scilicet. Quantum autem ſibi literas hoc labore demeruerit vel ex levi eorum ſpecimine iudicabitur, quod data opera hîc excudere fecimus, cui et reſpondentia ex noſtra editione, et ſua ſecunda adiecimus, ut unico intuitu tota res perſpiciatur. Atque haec, Lector, tandem ſint ſatis: Nam tu certe invitus hîc detineris, et ego etiam ad alia propero. Vale.*

Ex Regia Bibliotheca postridie Idus Aprilis 1811.

Ex Edit.

(1) V. Differt. I. §. XV.

Ex Edit. Caſſitti Novembr. 1808. Paginar. 23.

FAB. III. *De Prometheo fingente hominem.*
Hominem perfecit artifex Prometheus,
Et quo eſſet animal ceteris inſtructius,
Iovem precatur, ſigno ut animam commodet.
Divinam Iupiter indulgens animam dedit;
Adpoſuit ille ferum Leonis impetum,
Vafriciam vulpis, gloriam tauri trucis,
Oviſque ſemper placidae manſuetudinem.
Iuvat obeſtque homini ſua tamen ſolertia.
Nimirum in Coelo ſedem prudens Iupiter
Homini negavit, magno conſilio Deum. etc.

FAB. IV. v. 13.
Ideo quum forte meretrix ridet validius,
Incumbens lecto, ſequitur lectus, omnia
Et quae tangebat magno flentem incommodo.
Novitate vero copens multitudinem
Barbatus ille verba ridenda extulit.

FAB. V. *De Prometheo et Mercurio.*
De veritate commendatio.
Condens virtutes fictiles Prometheus,
Noctes dieſque plurimos conſumſerat,
Ut vere poſſet veritatem reddere.
Se artificem ſimulans Nuntius magni Iovis
Intravit officinam fallaci dolo.
Figuli ergo figulus, nuper quem receperat.
Invidia accenſus facie ſimulacrum pari,
Veſtitu omnino ſimile et membris omnibus etc.

Ex Edit. noſtrâ anno 1809. curatâ, vulgatâ vero Idib. Februar. 1811. Paginar. 287.

FAB. II. *Auctor.*
Arbitrio ſi *natura finxiſſet* meo
Genus mortale, longe foret inſtructius;
Nam cuncta nobis attribuiſſet commoda,
Quaecumque indulgens fortuna animali dedit:
Elephantis vires, et Leonis impetum
Corpus *in* aevum, gloriam Tauri trucis,
Equi *velocis* placidam manſuetudinem,
Et adeſſet homini ſua tamen ſolertia.
Nimirum in Coelo ſecum ridet Iupiter,
Haec qui negavit magno conſilio hominibus etc

FAB. III. v. 13.
Id quum forte meretrix ridet validius
Nares replevit humor, ut fieri ſolet,
Emungere igitur *ſe volens*, *prendit* manu,
Traxitque ad terram naſi *longitudinem*,
Et *alium* ridens, ipſa ridenda extitit.

FAB. IV. *Prometheus et Dolus.*
De veritate et mendacio
Olim Prometheus ſeculi figulus novi
Creta ſubtili veritatem fecerat,
Ut iura poſſet iurer homines reddere.
Subito accerſitus nuntio magni Iovis,
Commendat officinam fallaci Dolo,
In diſciplinam nuper quem receperat.
Hic ſtudio accenſus, facie ſimulacrum pari,
Unâ ſtaturâ, ſimile et membris omnibus etc.

Ex ſecunda Edit. Caſſitti Nonis Februar. 1811. Paginar. 4.

FAB. III. *De conditione humana.*
Arbitrio ſi *Natura feciſſet* meo
Genus mortale, longe foret inſtructius;
Na*mque illa* nobis attribuiſſet commoda,
Quaecumque indulgens fortuna animali dedit;
Elephanti vires, et leonis impetum,
Cornicis aevum, gloriam tauri trucis,
Equi velocis placidam manſuetudinem,
Et adeſſet homini ſua tamen ſolertia.
Nimirum in Coelo ſecum ridet Iupiter,
Haec qui negavit magno conſilio homini etc.

FAB. IV. v. 13.
Ideo quum forte meretrix ridet validius,
Nares replevit humor, ut fieri ſolet,
Emungere *igitur se volens prendit* manu,
Traxitque ad terram naſi longitudinem,
Et *alium* ridens, ipſa ridenda extitit.

FAB. V.
De veritate et mendacio.
Olim Prometheus ſeculi figulus novi
Curâ ſubtili veritatem fecerat,
Ut iura poſſent veritatem reddere.
Subito accerſitus nuntio magni Iovis,
Commendat officinam fallaci Dolo,
In diſciplinam nuper quem receperat.
Hic ſtudio accenſus facie ſimulacrum pari,
Unâ ſtaturâ, ſimile et membris omnibus etc.

NICOLAI PEROTTI
EPITOME
FABELLARUM (1) AESOPI, AVIENI, ET PHAEDRI
AD PYRRHUM PEROTTUM
FRATRIS FILIUM
ADOLESCENTEM SUAVISSIMUM

INCIPIT FELICITER. (2)

NICOLAI PEROTTI AD PYRRHUM NEPOTEM
PROLOGUS (3).

Non ſunt hi mei, quos putas, verſiculi;
Sed Aeſopi ſunt, (4) *Avieni, et Phaedri:*
Quos collegi ut eſſent, Pyrrhe, utiles tibi,
Tuaque cauſſa legeret Poſteritas,
Quas edidiſſent viri docti, fabulas.
Honori et meritis dicavi illos (5) *tuis,*

(1) Sic in Codice non *Fabularum*, ut ex Schedulis Dorvillianis edidit Burmannus. In Epigraphe Indicis eſt etiam *Fabellarum*, non *Fabularum*.

(2) Epigraphe Codicis.

(3) Haec ad perſpicuitatem adiecta.

(4) Burmannus edidit *et Avieni*: Sed *et* in Codice eſt deletum, a vetere forte manu, quum in Epigraphe ſcriptum fuerit *Aeſopi*, *Avieni*, atque *et* nec ad ſententiam faceret, nec ad metrum in rythmico verſiculo. Quamobrem nos vocula omittendam cenſuimus, etſi ex veſtigiis deprehenderimus.

(5) Sic in Codice, non *illas*, ut Burmannus edidit: illos nempe verſiculos, quos collegerat, quibus verſiculos ſuos

Saepe verſiculos interponens meos,
Quasdam tuis quaſi inſidias auribus.
Solet quippe iuvare iſta varietas.
Hos ſi leges laetabor, ſin autem minus,
Habebunt certe quo ſe oblectent Poſteri. (6)
Nunc fabularum cur ſit inventum genus (7),
Brevi docebo: Servitus obnoxia,
Quia quae volebat non audebat dicere,
Affectus proprios (8) *in fabellas tranſtulit,*
Calumniamque fictis eluſit iocis.
Redeo unde diſceſſi ad lib. . . . . :
Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſſit, obtrectet licet:
Mihi magna laus eſt, quod tu, quod ſimiles tui
Labores libenter legant uſque meos,
Dignoſque longa iudicent memoria.
Semper fugatae plus vetuſtati favet
Invidia mordax, quam bonis praeſentibus (9).

PARS I.

ſuos interponebat. Sequitur etiam *bos*.

(6) Animadvertat hic lector ad Perottum non pertinere, ſi quae deinceps aliis characteribus, quam iſtis, impreſſa in libello occurrant

(7) His formis reſtitutae ſunt ex vulgatis Phaedri libris literae deficientes in Codice, vel verba quae exciderant.

(8) Ita omnino in Codice, etſi *rios*, ut reliqua, aliquanto aegrius perſpiciantur. Ex quo factum eſt, ut puto, editum fuiſſe a Burmanno ex Dorvillianis Excerptis *prope* . . . . . Nemini vero ſit mirum Dorvillium pauca haec non fuiſſe adſecutum. Vid. Diſſert. noſtr. I. §. III.

(9) Vide, ſi lubet, quae de hoc Prologo diximus in Diſſert. I. §. X.

PARS I.

PHAEDRI FABULAE (*).

(*) De his fabellis loquuti ſumus in §. XIV. Diſſert. I. ibique rationem, quam in animadverſionibus tenemus, apertuimus. Qui eam non legerit, ubi ratio poſtulabit, ſi placet, locum conſulat.

PHAEDRI FABULAE.

1. FAB. VI. LIB. II. num. 103.

AQUILA ET CORNIX.

Potentibus non facile resisti posse; quod si nefarius consiliator accesserit omnia pessumdari (*).

Aquila in sublime sustulit testudinem,
Quae quum abdidisset cornea corpus domo,
Nec ullo pacto laedi posset condita,
Venit per auras cornix, et praeter volans (1):
Opimam, inquit, (2) *praedam rapuisti unguibus;*
Sed

(*) Promythium desumtum ex Phaedro, qui haec habet:

Contra potentes nemo est munitus satis:
Si vero accessit consiliator maleficus,
Vis et nequitia quidquid oppugnant, ruit.

(1) *Praeter volans.* Libri editi exhibent *propter volans*, quod improbari non potest: sed illud, ni fallor, melius ad rem. *Praeter* enim interdum adhibetur, quum aliquid cum motu fit ante oculos et adspectum alicuius. Id sane constat ex Cicerone Orat. III. in Verr. ex Seneca de Ira lib. II. cap. 6. et aliis pluribus. Quin Suetonius in Claudio c. 7. *Ut forum*, ait, *ingredienti praetervolans aquila dexteriore humero consideret.* Accedit porro Romulum Rimicii habere *contra volans*: alterum Nilantii *contra advolans.*

(2) *Inquit.* Editi *sane.* Sed *inquit* vel aliud huiusmodi in hoc loco requiri videretur, si attendatur. Et re quidem vera uterque Romulus eam vocem servant. Nec morari potest Ecthlipsis, quae reiicienda esset ex versu, quo recte constaret. Nam reice-

Sed, niſi monſtraro quid ſit faciendum tibi,
Gravi nequidquam te laſſavit (3) *pondere.*
Promiſſa parte; vadens, ut ſcopulos ſuper
Ab aſtris duram illidat, monet, corticem (4),
Qua comminuta facile veſcatur cibo.
Inducta verbis aquila monitis paruit,

Si-

cerunt quidem nonnumquam Poetae clariſſimi Lucretius lib. I. v. 363. etc. Propertius lib. II. Eleg. 32. v. 45. Ovidius Amor. lib. II. Eleg. 1. et alii. Quin et ipſe Phaedrus non ſemel reiecit, quemadmodum Marquardus Gudius ad fab. 4. lib. I. et ad fab. 5. lib. IV. David Hoogſtratanus et Ioſephus Desbillonius iterum ad 4. lib. I. plurimis obſervarunt. Quod ſi id nonnulli faſtidirent reponere fortaſſe poſſent *dixit*, quo ſaepe eleganter utitur Auctor, veluti v. 5. fab. 17. lib. I. v. 27. Prol. lib. III. et v. 5. fab. 17. v. 9. fab. 5. lib. V.

(3) *Laſſavit*. Libri recentiores tum ex MSS. fide, tum Gudii et Gronovii filii auctoritate receperunt *laſſabit*; priores *laſſabis* habebant. Noſtra autem lectio probatae quam proxime accedit, omneſque norunt quam frequenter *b* in *v* immutatum fuerit. V. Voſſium, et Paſſeratium de permutat. literarum, et cognatione inter ſe. Sed, ni fallor, ea ipſa ut eſt in Codice defendi et retineri poſſet. Poetae enim fortaſſe placuit inducere Cornicem ſuadentem Aquilae, ut ex labore potius incaſſum tolerato, et ex quo feſſa iam eſſet, quam ex futuro et incerto illud experiretur.

(4) Is verſic. et ſuperior diſcrepant aliquanto a vulgatis, qui ſunt huiuſmodi:

Promiſſa parte: ſuadet, ut ſcopulum ſuper
Altis ab aſtris duram illidat corticem.

Non quidem male. Sed illi praeferendi in multis videntur. Nam, niſi certa quaedam ratio urget, rectius *ſcopulos* quam *ſcopulum* ſcribitur. Praeterea quum accedendum ad eos fuiſſet aquilae commode quidem *vadens* appoſitum. Contra autem *altis ab aſtris* nimis poeticum ſapit, et illud adiunctum innuit quaſi certo conſilio id diceretur, quod ſane neque opportunum eſt, neque verum. Equidem fateor in altero ex verſibus Codicis carminis leges non ſervari. Sed ſi tantum *monet τῷ illidat* praeponatur res egregie procedet. Nemo autem neſcit quam facile fierent in omnibus prope Codicibus iſtae inverſiones et traiectiones verborum.

Simul (5) *magiſtrae large dimiſit* (6) *dapem.*
Sic tuta quae fuerat naturae (7) *munere,*
Impar duabus occidit triſti nece.

2. FAB. VII. LIB. II. num. 35.

MULI ET LATRONES.

De divitiis et paupertate.

Muli gravati ſarcinis ibant duo:
Unus ferebat fiſcos cum pecunia,
Alter tumentes multos (1) *ſaccos hordeo:*
Ille onere dives celſa cervice eminet (2),
Clarumque collo iactat (3) *tintinnabulum,*

Co-

(5) *Simul*. Editi *Simul et*. Hoc quidem non improbo, ſed eo fortaſſe pacto a Phaedro fuiſſe ſcriptum putaverim. Nam Codex noſter idem etiam ſervat v. 13. fab. 16. lib. III. et v. 10. fab. 21. lib. IV. et eſt in Editis v. 6. fab. 8. lib. eiusdem. Praeterea quum Auctor *ſimul* pro *ſimul ac* fere ſemper adhibeat, veluti v. 14. fab. 4. lib. II. v. 29. fab. 10. lib. III. v. 3. fab. 14. v. 16. fab. 16. eiusdem libr. et pluribus aliis locis, facile *ſimul* pro *ſimul et* quoque uſurpavit.

(6) *Dimiſit*, vulgo legitur *diviſit*. Burmannus autem ad v. 381. lib. III. Metamorph. Ovidii multa exempla profert, quibus probat ea verba in Codicibus alterum in alterum tranſiiſſe. Quae ergo genuina lectio eſt? vulgata recta eſt, noſtra improbari non poteſt. Nam hîc dimittere eſt relinquere poteſtatem facere etc. quod quidem, ſi dicendum eſt, magis decorum videretur reginae avium.

(7) *Fuerat naturae*. Editi *naturae fuerat*, et numeroſius.

(1) *Multos*. Ed. *multo*, elegantius.

(2) *Eminet*. Ed. *eminens*.

(3) *Iactat*. Editi *iactans*. Haec et ſuperior Editionum lectio iamdiu faſtidium creaverant Bentleio, qui propterea priorem verſum legebat:

Ille onere dives celſa it cervice eminens.

Neque dubium videtur, quin

Comes quieto ſequitur, et placido gradu.
Latrones ſubito (4) *ex inſidiis advolant,*
Interque caedem ferro mulum ſauciant (5);
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum;
Spoliatus igitur caſus quum fleret ſuos:
Equidem, inquit alter, me contemtum gaudeo,
Quod nihil (6) *amiſi, nec ſum paſſus vulnera* (7).

noſtrae ut probatae et genuinae habendae ſint. Nam in fabella eamdem ac cetera ſyntaxin ſervant, quod vulgatae non praeſtant. Quin iam ex coniectura reſtituerunt viri doctiſſimi Franciſcus Hare et Richterus, Philippus porro et Desbillonius etiam ediderunt.

(4) *Latrones ſubito*. Editi: *Subito latrones*, quod retinendum eſt gratia carminis.

(5) *Sauciant*. Pithoeanus et Remenſis Codex, Gudio et Rigaltio teſtibus, habuerunt *trucidant*. Sed lectio plane reiecta fuit, quia metro et ſententiae adverſabatur. Quamobrem Salmaſius legere malebat *tuſitant*, Meurſius *tuditant*, Scioppius *tonſitant*, Heinſius *incurſitant*, Crollius *lancinant*, Rigaltius *truſitant*. Plerique autem libri hoc receperunt: Sed *ſauciant* omnibus praeſtat. Nam de caede et vulneribus ſane loquitur Phaedrus. Quin ipſe Heinſius illud viderat, et vehementer probaverat Bentleius. Philippus autem et Desbillonius, comperto Perottino Codice, receperunt.

(6) *Quod nihil*. Editi *nam nihil*.

(7) *Nec ſum paſſus vulnera*. Edit. *nec ſum laeſus vulnere*. Quae praeferemus? Philippus noſtra praetulit. Ego nil auderem, tantum quaererem an certum ſit vulgatam lectionem Codicum auctoritate firmari.

3. FAB. VIII. LIB. II. num. 20.

CERVUS ET BOVES.

Dominos in rebus ſuis videre plurimum (*).

Cervus nemorum exagitatus (1) *latibulis* (2);
Ut venatorum fugeret inſtantem necem,
Caeco timore pro*ximam vil*lam petît,
Et inter bubulos ruſticus ſe condidit (3).

Huic

(*) Ex Epimythio Phaedri: *Dominum videre plurimum in rebus ſuis.*

(1) *Exagitatus.* Sic plane legitur in Codice. Sed Burmannus ex Schedulis Dorvillianis *excitatus* exhibuit.

(2) Totus verſiculus ita in Editis ſcribitur:

Cervus nemoroſis excitatus latibulis.

Non quidem male. Sed quomodo cervus tantum *excitatus* induci poteſt, ut caeco timore inſtantem necem fugeret, et praeceps in bubile ſe coniiceret? Longe propius ad rem *exagitatus*. Cicero lib. III. de Offic. *Suntne igitur inſidiae tendere plagas, etiamſi excitaturus non ſis, nec agitaturus?* Seneca Hippol. v. 51. *Tu praecipites clamore feras ſubſeſſor ages.* V. etiam v. 109. Praeterea ni fallor latibula nemorum maiori cum verborum proprietate dicuntur, quam latibula nemoroſa. Quamobrem de lectione Codicis noſtri cogitandum puto.

(3) Ab hoc verſic. editus diſcrepat, qui ſic ſe habet:

Et opportuno ſe bubili condidit.

Recte quidem, ut videtur: Sed noſtrum propterea totum non reiicerem. Probari ſane non poteſt *inter bubulos*, quum *bubulus* adiunctum ſit, neque hîc ad ſententiam faciat: Verum ſi ex ipſius vocis et vulgatae lectionis veſtigiis reponeretur *bubile* verſus exſurgeret qui, mea ſententia, pulchre procederet:

Et in bubile ruſticus ſe condidit.

Ruſticus profecto multam hîc habet vim, et coecum illum timorem eleganter probat. Contra vero fere nullam *to opportuno* vulgatum. Villae enim vel habent bubile, vel neceſſe eſt plane ut habeant. V. Varronem de Re Ruſt. lib. I. cap. 13. et Columellam item de Re Ruſt. lib. I. cap. 6.

Huic (4) *eo* (5) *latenti: quidnam voluiſti tibi,*
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
Hominiſque (6) *tecto ſpiritum commiſeris?*
At ille ſupplex, vos modo, inquit, parcite,
Occaſione rurſus erumpam data.
Spatium dein (7) *noctis excipiunt vices.*
Frondem bubulcus adfert (8), (9) *nihil videt:*
Eunt ſubinde et redeunt omnes ruſtici,
Nemo eum advertit (10); *tranſit etiam villicus,*
Nec ille quidquam ſentit. Tum gaudens Cervus (11)
Bubus quietis agere coepit gratias,
Hoſpitium adverſo quia praeſtarent (12) *tempore.*
Reſpondit unus, ſalvum te volumus (13) *quidem,*
Sed

(4) *Huic*. Editi *bic* vel *beic*, iſtud praeſtare videtur.

(5) *Eo*. Editi *bos*, et rectiſſime.

(6) *Hominiſque*. Vulgo legitur *hominumque*: noſtrum elegantius.

(7) *Dein*. Legendum eſt quidem *diei*, ut libri omnes editi exhibent.

(8) *Adfert*. Sic in Codice, non *adfertur*, quod protulit ex Excerptis Dorvillianis Burmannus.

(9) Hoc loco reponendum videtur *et*. Secus enim verſus erit ſyllaba truncus. Editi habent *nec ideo videt*: Salmaſius autem, Gudio teſte, malebat legere *nec adeo*. Sed potiorem eſſe lectionem Codicis etiam ea, quae in fabella ſequuntur, oſtendunt.

(10) *Nemo eum advertit*. In Editis legitur: *Nemo animadvertit*.

(11) *Cervus*. Libri omnes *ferus*, quod lex carminis poſtulat. Nam videtur, Phaedrum in poſtrema verſuum ſede perpetuo iambum retinuiſſe.

(12) *Quia praeſtarent*. Editi *quod praeſtiterint*. Noſtrum quidem egregium eſt, probatumque a Philippo, et ab ipſo Burmanno. Sed vulgatum, ni fallor, melius ad rem facere videtur. Cervus enim gratias bubus agit de beneficio accepto, veluti iam ab omni periculo evaſiſſet incolumis.

(13) *Volumus*. Vulgo *cupimus*.

Sed ille, qui oculos (14) *centum habet, ſi venerit* (15).
Haec inter ipſe dominus a coena redit,
Et, quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit *ad* praeſepe; *cur frondis parum eſt?*
Stramenta deſunt: tollere haec aranea
Quantum (16) *eſt laboris? dum ſcrutatur ſingula,*
Cervi quoque alta conſpicatur (17) *cornua;*
Quem convocata iubet occidi familia,
Praedamque tollit, quam paraverat caſus (18).

4. PARS

(14) *Sed ille qui oculos* etc. ut libri omnes. Verum Iuvenatius *nitidius* legi putat: *Sed ille oculos qui centum* etc. numeroſius quidem.

(15) Poſt hunc verſiculum alius deſideratur huiuſmodi:

Magno in periclo vita vertetur tua.

Sed fabella ſine eo recte conſtat: Quin neſcio quam elegantiam praeſeferat, quum inſtitutum a bubus cum cervo ſermonem repentinus Domini adventus abrumpat. Quamobrem ſcribi poſſet:

Sed ille qui oculos centum habet ſi venerit . . . .
Haec inter, ipſe Dominus a coena redit etc.

Sed id ni fallor Phaedri ſtilum vix ſapit, et vulgata lectio recta eſt.

(16) *Quantum*: ut libri omnes. Iuvenatius mallet *quanti*, ut antea Heinſius, Bentleius, Hoogſtratanus, aliique autumaverant. Sed recepta lectio optima eſt, quemadmodum ex exemplis patet, quae Ovidius Metamor. XII. v. 19. XVI. v. 479. Terentius Phorm. IV. 5. Valer. Flaccus Argon. VI. v. 667., quin et ipſe Phaedrus lib. I. fab. 13. lib. II. fab. 4. aliique paſſim ſuppeditant.

(17) *Conſpicatur*. Vulgo *eſt conſpicatus*. Codicis lectio omnino potior, nam omnia ibi ut praeſentia ab Auctore inducuntur. Atque ita quidem ex eius fide Philippus edidit, et ita reſtituendum eſſe ratus fuerat Iuvenatius. Ad hunc enim locum: *Quid*, ait, *ſi a Phaedro fuit*: Cervi quoque alta conſpicatur cornua?

(18) Hemiſtichium *quam paraverat caſus* a libris omnibus editis exſulat. Sed reſpuendum non eſſe probare viſi ſumus in Differt. I. §. IX. Scribendum autem eſt *caſus quam paraverat*, ſecus ſpondaeum in poſtrema ſede offendemus. Atque haec poſtrema verba ſunt, nil-

4. PARS EPILOGI LIB. II. num. 71.

PHAEDRUS.

Ingenio et virtuti veram gloriam tribui.

Aesopi ingenio (1) *ſtatuam poſuere Attici,*
Servumque collocarunt aeternae baſi (2),

Panilque aliud fabellae appoſitum occurrit; neque verum eſt, quod Burmannus in Excerptis prodidit, eam hoc verſu claudi, nempe:

Tunc recte fieri omnia quum per nos facimus.

Haec enim quum trochaeum habeant iambum non faciunt, et ſi facerent argumentum ſive promythium ſunt fabellae XXI. Aviani, quae hanc ſtatim excipit, et cui egregie prorſus conveniunt. Et mirari ſane ſubiit quomodo iſte error oriri potuiſſet, quum etiam illa verba rubro colore, quo numquam verſus fabularum, eſſent exarata, et quodam quoque ſcripturae genere argumentis veluti peculiari.

(1) *Aeſopi ingenio*. Vulgo *Aeſopo ingentem* legitur. Sed lectio Codicis praeferenda eſt, tum quia elegantior, tum quia exprimit Phaedri ſtilum. Et eam quidem gravi coniectura reſtituerunt Marquardus Gudius, Ezechiel Spanhemius, Richardus Bentleius, et Petrus Burmannus. Quin is eo ſibi placuit, ubi eam in Schedulis Dorvillianis deprehendit, ut vel hoc ſolo nomine Codicis noſtri pretium abſolvi poſſe profiteretur. Iuvenatius porro iudicii ſubacti vir ad hunc locum: *Neſcio*, ait, *quomodo mihi magis arridet, magiſque Phaedro digna haec altera lectio* (nempe Aeſopi ingenio) *videtur. Vide Prolog. lib. III. v. 4. et 53, et hujusmodi ſexcenta alia genera paſſim toto libello*. Neque tandem praetereundum eſt in Pithoeano et Remenſi codice fuiſſe *Aeſopi*, et eſſe exploratum, quod frequenter in Codicibus *ingenio* in *ingentem* tranſierit. Id oſtendit Valens Acidalius ad Curtium lib. X. c. 4. num. 32. et pluribus Burmannus in Comm. novo ad hunc locum.

(2) *Aeternae baſi*. Editi *aeterna in baſi*. Non inficior hunc loquendi modum et frequentem et vulgatum eſſe, quum contra luculentis exemplis ille vix probari poſſit. Sed ea ipſa ratione, quod fere inſolens ſit, et quia certum eſt in fere ſimilibus cum dandi caſu *collocare* non raro occurrere, eam lectionem non plane reiicerem.

Patere honori (3) *ſcirent ut cuncti* (4) *viam,*
Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam.

5. FAB. I. LIB. III. num. 108.

ANUS AD AMPHORAM.

Luxurioſos et ſola luxuriae cogitatione delectari (*).

Anus iacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna faece et (1) *teſta nobili,*
Odorem quae iucundum late ſparſerat (2).
Hunc poſtquam totis avida *traxit naribus:*
O ſuavis anima, quale te dicam bonum (3)
Antehac fuiſſe, tales quum ſint reliquiae?

6. FAB.

(3) *Honori*. Vulgo *bonoris*. Noſtrum elegantius, quod iam Bentleius ex coniectura repoſuerat, et Franciſcus Hare firmaverat: *Scribendum*, is ait, *honori potius, quum S ex prima forte vocis ſequentis litera huic adhaeſerit, male ut ſaepe fit geminata*. Iuvenatius autem et his ſimilia habet: *Repetitus, ut mihi quidem videtur, e proximo ſibilus, et certe Phaedro ſi eius τον νεν* (mentem) *ſubtilius limamus lubentiſſime abeſſe poterit*.

(4) *Cuncti*. Aliqui ex editis *cunctis*, ut Praſchio placuit.

(*) Burmannus ad hanc fabellam in Comm. novo cum Perotto ſentire videtur, quamvis adhuc Codicem non noviſſet. Nam quum ceteri ea ad Phaedrum ſenem referrent, ipſe maluit notari iis vetuli Tiberii libidines.

(1) *Et teſta nobili*. Recte, ni fallor, veluti aliquid etiam ad odoris praeſtantiam conferret nobilitas teſtae: atque ita quidem legebatur in prioribus editionibus, dubio procul ex codicum auctoritate, quemadmodum Gudius fatetur. Verum is ipſe legere maluit *e teſta nobili*, et ſic vulgo receptum eſt in libris. Sed lectionem noſtram Bentleius et Desbillonius reſtituerunt.

(2) *Sparſerat*. Editi *ſpargeret*.

(3) *Quale te dicam bonum*. Priores editiones habuerunt *qualem te dicam bonam*, quum Co-

6. FAB. II. LIB. III. num. 107.

PANTHERA ET PASTORES.

Non faciendam esse alicui iniuriam.

Panthera imprudens olim in foveam decidit:
Videre agrestes; alii *fustes congerunt,*
Alii onerant saxis: quidam contra miseriam (1),
Perituraе quippe, quamvis nemo laederet,
Misere panem, sustinentes (2) *spiritum.*
Nox insequuta est, abeunt securi domum,
Quasi inventuri mortuam postridie.
At illa vires vi (3) *refecit languidas,*
Veloci saltu fovea sese liberat,
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis provolat,

Pe-

Codices Pithoeanus et Remensis, Desbillonio teste, exhibuissent *qualem te bonam*. Sed quum Gudius legere maluisset *quale in te dicam bonum*, haec lectio vulgo recepta est. Heinsius autem ex coniectura nostram probavit, et Burmannus, comperto Codice, eam iure placere posse pronuntiavit.

(1) *Miseriam*, mendum est; libri omnes habent *miseriti*, et rectissime.

(2) *Sustinentes*. Editi *ut sustineret*. Hic loquendi modus vulgatior, et propterea noster contra probatior videretur: Nam nemo dubitare potest quin rectus sit. Sallustius sane in Bell. Iugurth. *Hominum*, ait, *quos terra sustinet scelera-tissimus*. Virg. Georg. II. v. 514.

. . . . *Hinc Patriam parvosque nepotes*
Sustinet . . . . Ovidius Metamorph. X. v. 187. *Nunc animam* (Hyacinthi pueri) *admotis fugientem sustinet* (Apollo) *herbis*.

(3) *Vi*. Lege *ut*, ex vulgata lectione. Saepe quidem in Codicibus alterum in alterum abiit, quemadmodum pluribus observarunt Burmannus in Comm. novo ad v. 12. fab. 2. lib.

Pecus trucidat, ipſius paſtorem (4) *necat,*
Et cuncta vertens, (5) *ſaevit irati impetu* (6).
Tum ſibi timentes qui ferae pepercerant,
Damnum haud recuſant, tantum pro vita rogant.
At illa (7)*: memini qui me ſaxis petierit* (8),
Qui panem dederit (9)*: vos timere abſiſtite,*
Illis revertor hoſtis, qui me laeſerunt (10).

7. FAB. III. LIB. III. num. 22.

AESOPUS ET RUSTICUS.

Ratione potius quam oraculis agendum.

Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite: monſtro exterritus

Ad

lib. I. Et Gudius ad v. 5. fab. 11. eiusdem libri.

(4) *Ipſius paſtorem*. Editi *ipſos paſtores*, et melius.

(5) *Vertens*. Editi *vaſtans*. Hoc potius quidem, ſed illud rectum.

(6) *Irati impetu*. Sic ſane in noſtro Codice, ut etiam vidit Burmannus in Schedulis Dorvillianis. Sed Philippus edidit *innato impetu*, quod plane frigidum eſt. Vulgo legitur *irato impetu*, et non quidem male. Sed noſtrum elegantius videtur. Poeta enim feram fortaſſe induxit vaſtantem omnia non naturali modo furore ſuo, ſed veluti eius qui vehementi ira ob atrocem iniuriam exardeſcit.

(7) *At illa*, quemadmodum ex coniectura reſtituerant Heinſius et Schefferus, antea legebatur *et illa*.

(8) *Saxis petierit*; elegantius quam vulgatum *ſaxo petierint*:

(9) *Dederit*. Editi *dederint*: idem dicendum eſt ac de ſuperiori; quin utraque lectio ut probata haberi poteſt. Romulus lib. IV. fab. V. ſcribit *qui mihi ſaxo non nocuit . . . qui panem miſerit*.

(10) *Laeſerunt*. Vulgo *laeſerant*. Sed notum eſt illud mediam contrahere poſſe, multaque ad eam rem exempla habet Tanaquillus Faber ad v. 1. adpend. fab. XIX. lib. IV. quo-

cir-

Ad conſultandos (1) *currit moerens hariolos.*
Hic pertinere ad domini reſpondet caput,
Avertendum eſſe (2) *victima periculum;*
Ille autem affirmat coniugem eſſe adulteram,
Et illegitimos ſignificat liberos (3).
Sed expiare (4) *poſſe maiore hoſtia.*
Quid multa? variis diſſident ſententiis,
Hominiſque curam cura maiore adgravant.
AEſopus ibi ſtans, narrare incipit;
Naturam nequaquam verba cuiquam dare (5).

Si

circa etiam ut elegantius antea probaverant Burmannus, Gudius, Guyetus, et Rittershuſius.

(1) *Conſultandos*. Editi *conſulendos*. Utrumque probatum eſt.

(2) *Avertendum eſſe*. Editi *et avertendum* victima etc. quod tenendum eſt.

(3) Hunc verſic. aliquanto aliter editi libri exhibent, nempe:

Et inſitivos ſignificari liberos.

Equidem non dubito, quin hic rectus ſit, et multa proprietate verborum uſurpentur *inſitivos* et *ſignificari*, quemadmodum pluribus oſtendit Burmannus in Comm. novo ad hunc locum. Sed verſus Codicis omnino reſpui propterea non poſſe videtur. Nam Hariolus, qui paullo ante *adfirmat* uxorem eſſe adulteram, non male profecto *ſignificat*, graviter nempe ait et declarat filios eſſe illegitimos. Sed quum ad leges carminis deſit ſyllaba, neque ea facile reſtitui poſſit a vulgata lectione non eſt recedendum.

(4) *Expiare*. Editi *expiari* monſtrum nempe, et rectius.

(5) Is et ſuperior verſic. aliter vulgo leguntur, ſcilicet:

Aeſopus ibi ſtans naris emunctae ſenex,
Natura numquam verba cui potuit dare.

Sed haec vel plane aſſequi, vel probare ipſe doctiſſimus Burmannus non valuit. *Nam certe*, in Excerptis ait, *ſemper in illo*, altero, *verſu haeſit, nec quomodo natura non potuerit Aeſopo verba dare, ideſt fallere intelligere potui*. Contra vero ſententia, quam verſiculi Codicis noſtri praeferunt tum aptior eſt et veriſimilior, tum egregia et ſublimis, ita ut haud videatur a Magiſtello et Amanuenſi facile fingi atque obtrudi potuiſſe. Propterea ſane idem Burmannus lectionem, ut novit, avide arripuit, et quum expendiſſet, locum reſtitui poſſe ratus eſt, ſi ſcriberetur:

Ac-

Si procurare vis oſtentum, Ruſtice,
Uxores, inquit, da tuis paſtoribus.

8. FAB.

Aeſopus ibi ſtans, nariſque emunctae ſenex
Sciens naturam verba nequaquam dare.

non hercle male: ego tamen neſcio quam eleganter illa duo participia ſe ſtatim excipiant, et quam ſapiat Phaedri ſtilum eiuſmodi loquendi ratio. Quin videretur, propius haerendum eſſe veſtigiis Codicis. Nam, ſi de ſecundo verſiculo loquimur, nil temere ex eo reiecerim, tum quia omnia ad rem faciunt, tum quod, ſi ſingula verba ſpectentur, eum totum ipſa vulgata lectio quodammodo probat. *Nequaquam* idem fere eſt ac *numquam*, et *cuiquam* in *cui potuit* facile tranſiit. Quae ſi vera ſunt, quo pacto recipi poſſit illud *naris emunctae ſenex* non video. Placeret profecto; ſed locus ei hic non eſſe videtur, et, ſi attendatur, Phaedrus Aeſopi nomen nudum perpetuo et ſimplex adduxit. De primo porro cogitandum etiam eſt; nam praeterquamquod eius ſententia recte ad alterum verſiculum facit, poſtremi quoque eam quodammodo poſtulant, quum non totum Aeſopi ſermonem, ſed prioris tantum concluſionem continere videantur. Quod ſi ſecus foret, tum oraculi reſponſo propiores eſſent, quo interpres egeret interprete, neque ſane eo pacto a tam gravi cura liberari poterat miſer ruſticus. Sed quid tenebimus, ſi ne noſtri quidem verſiculi toti recti ſtent et genuini? Primus integro pede truncus eſt, tum *narrare incipit*, quod habet, occurrit etiam totum fab. 6. lib. 1. v. 2. et ipſum *narrare* haud plane ex verbi proprietate uſurpari videtur; alter, quo probetur *cuiquam* recipere debet triſyllabum, quum Phaedrus *cui* ſive ſolutum ſive compoſitum monoſyllabum fecerit. Haec non levia ſunt, et propterea doctis excutienda et decernenda relinquimus. Interea tamen non abſurde legi poſſe putarem

Aeſopus ibi ſtans, narrare illis incipit
Naturam cuiquam verba nequaquam dare.

Nam Homerus, Virgilius, aliique Poetae praeſtantiſſimi non unum modo alterumque verbum interdum repetunt, ſed hemiſtichia, et integros verſus; tum *narrare* commode defendi poteſt; Plinius lib. XX. c. 1. *Narrabimus homini cibos ſuos*, Propertius lib. II. Eleg. I. v. 43.

Navita de ventis, de tauris narrat arator.

Tandem tranſpoſitio verborum non fit tam taro in Codice, ut quaedam aliquando transferre iure non poſſe videamur.

8. FAB. IV. LIB. III. num. 109.

SIMII CAPUT.

Aſpectu hominum ſaepe iudicium falli.

Pendere ad Lanium quidam vidit Simium
Inter reliquas merces atque opſonium (1).
Quaeſivit quidnam ſaperet: tum Lanius iocans,
Quale, inquit, caput eſt, talis praeſtatur ſapor.
Ridicule magis hoc dictum (2), quam vere exiſtimo: (3)
Quando et formoſos ſaepe inveni peſſimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

(1) *Ooſonium*. Vulgo *Obſonia*. Utrumque probatae auctoritatis eſt.

(2) *Magis hoc dictum*, quemadmodum docti in libris ediderunt. Codices, Gudio teſte, habebant *hoc dictum magis*.

(3) *Exiſtimo*. Sic quidem in Codice. Burmannus in Excerptis exhibuit *aeſtimo*, quod librorum editorum eſt. Hoc commode retineri poteſt, ut ipſe Burmannus, Schefferus, et Desbillonius pluribus obſervarunt; Sed illud praeferendum fuiſſet, ni verſiculus ſyllaba longior efficeretur. Quin propterea Schefferus malebat legere *extimo* pro *exiſtimo*, quemadmodum vulgo *dixti* dicitur pro *dixiſti*, et Bentleius totum verſiculum ſic proferebat

Ridicule hoc dictum mage quam vere exiſtimo.

Quod profecto plus etiam, quam putatur, auctoritate Codicum defendi poteſt.

9. FAB. V. LIB. III. num. 110.

AESOPUS ET PETULANS.

Male agentes proceſſu temporis puniri.

Aeſopo quidam petulans lapides (1) impegerat.
Fio, inquit, melior (2): aſſem deinde illi dedit.
Sic proſequutus: plus non habeo mehercules,
Sed unde accipere poſſis monſtrabo tibi.
Venit ecce dives et potens; huic ſimiliter
Impinge lapidem, et dignum accipies praemium.
Perſuaſus ille; fecit quod monitus fuit;

 Sed

(1) *Lapides*. Editi *Lapidem*, et rectius; nam paullo poſt occurrit *ſimiliter impinge lapidem*.

(2) *Fio, inquit, melior*. Ita prorſus in Codice. Burmannus tamen ex Schedulis Dorvillianis protulit *Fio, quo inquit etc.* Libri autem omnes habent *Tanto, inquit, melior*. Haec lectio ut egregia et probata adhuc habita eſt, atque erit fortaſſe; ſi vero dicere, quod ſentiam, licet, viſum eſt, ea recepta, totam fabellam non recte procedere. Non enim intelligebam quomodo Aeſopus tam gravi iniuria affectus percuſſorem ultro, et, ut ita dicam, ex abrupto laudet, et inſuper mercede donet. Neque melius videbam quomodo petulans, qui nullo pacto neſcire poterat facinoris gravitatem, et propterea demirari potius debebat, ut inſolentem et novum Aeſopi modum, quo monitu neſcio, ſtatim perſuaſus idem in potentem moliatur. Contra vero, Codicis lectione probata, tota res mihi pulchre procedebat. Nam quum Aeſopus oſtendiſſet illis verbis ſe meliorem ex ea iniuria factum fuiſſe, et egregiam animi virtutem exercuiſſe; tum petulans facile ſibi perſuadere potuit, mercedem veluti pro beneficio donatam, et alios inveniri, qui ad eamdem patientiam maiori quoque pretio comparare ſe vellent.

Sed ſpes ſefellit impudentem audaciam;
Comprenſus (3) *namque poenas ſolvit ſceleris* (4).

10. FAB. VI. LIB. III. num. 111.

MUSCA ET MULA.

Vanas minas ſine virtute parum momenti habere (*).

Musca in temone ſedit, et mulam increpans;
Quam tarda es, inquit, non vis citius progredi?
Videne doloſa (1) *collum compungam tibi* (2).
Reſpondit illa: verbis non moveor tuis;
Sed iſtum timeo ſella qui prima ſedens,
Iugum, flagellans, temperat collo meum,

Et

(3) *Comprenſus*. Editi *comprehenſus*. Perinde eſt, nam iſtud per craſin triſyllabum effertur. Schefferus tamen, Heinſius, et Burmannus noſtrum maluerunt.

(4) *Poenas ſolvit ſceleris*. Editi *poenas perſolvit cruce*. Non levis diſcrepantia. Sed quum utraque lectio egregie procedat, quam praeferemus? Ego nil auderem, quaererem tantum, an vulgatam MSS. auctoritas tueatur.

(*) Haec deſumta ſunt ex Epimythio Phaedri.

Hac derideri fabula merito poteſt,
Qui ſine virtute vanas exercet minas.

(1) *Doloſa*. Petrus Pithoeus, fortaſſe ex Codice ſuo, legit *doloſe*, quod noſtro proximum eſt. Libri omnes editi habent *dolone*, quae vera lectio eſſe videtur.

(2) Totum hunc verſiculum, ſi verbum de quo modo diximus, excipias, eodem pacto exhibent libri editi. Burmannus tamen legere maluit

Vide, dolone ne collum pungam tibi.

Sed, docti viri pace, praeterquam quod hic verſiculus parum numeroſus evaſit, iuſtaque auctoritate non nititur; vulgatus contra nil habet quo culpetur, ut Gudius etiam obſervavit. Quamobrem quum ex fide Codicis noſtri quoque probetur, ut genuinus commode haberi poteſt.

Et ora frenis continet ſpumantibus (3).
Quapropter auſer frivolam inſolentiam.
Ubi ſit tardandum, et ultro currendum ſcio (4).

(3) In hoc et ſuperiore verſiculo libri editi diſcrepant. Vulgatior lectio eſt

Iugum flagello temperat lento meum
Et lora frenis. &c.

Sed Praſchius, Graevius, Scheſerus iam in ſecundo reſtituerant *ora*, quod noſter habet. In priore autem, quem omnes Critici ut corruptum habuerunt, Burmannus loco vocis *iugum* reponebat *tergum*, quod ſibi tribuens Bentleius probavit, vel *curſum*, quod recepit Philippus, et edidit. Verumtamen hae lectiones ne ipſi quidem doctiſſimo Auctori ſuo deinceps placuerunt, qui propterea noſtra avide arrepta, eam etiam nonnullis argumentis firmare viſus eſt, ſed iterum in eo haeſit, quia nempe intelligere non poſſet, quomodo iugum aurium moderaretur et reneret. Id profecto verum eſt: Si tamen in ardua re coniicere liceret, difficultatem tolli putarem, ſi ſcriberetur

Iugo, flagellans, temperat collum meum.

Etenim quum *temperare* interdum idem ſit, ac *cohibere*, *coercere*, *continere* &c. quemadmodum in altero verſu *ora* recte *contineri frenis* dicuntur, ita hic *collum iugo temperari*, nempe *coerceri* commode dici arbitrarer. Quin, ſi adhuc faſtidium ſupereſſet, poſſetne legi?

Iugo flagellans, continet, collum meum,
Et ora frenis temperat ſpumantibus?

Verborum permutatio in verſiculis corruptis haud difficillime fieri potuit. Sententia recrius procedere videtur. Temperare ora frenis Horatianum eſt. Romulus apud Nilantium fab. 16. lib. II. habet *qui prima ſella ſedet, qui frenit ora regit*, quod illud *temperat* eſt. Alter, quem adducit Gudius fab. 17. lib. II. *qui prima ſella ſedet, qui frenis ora temperat*. Atqui hi Phaedrum non raro ad verbum exſcripſerunt. Sed tandem, illud *ſedens flagellans* eſt huiuſmodi ut in Scriptore elegantiſſimo ferri poſſit? quid ſi ſcriberetur

Iugo ac flagello temperat collum meum?

Docti haec viderint.

(4) Verſiculus vulgatus huiuſmodi eſt.

Namque ubi ſtrigandum eſt, et ubi currendum, ſcio.

Codices autem, Franciſco Hare auctore, habuerunt

Nam ubi tricandum, et ubi currendum eſt ſcio.

Noſtra tamen lectio utrique praeſtare videtur. Eleganter enim abeſt *namque*, quum ſortio-

II. FAB. VII. LIB. III. num. 115.

CANIS ET LUPUS.

Quam dulcis ſit libertas (*).

Cani perpaſto macie confectus lupus
Forte occurrit; dein ſalutati invicem (1)

Ut

tiores et irati preſſe et abrupte loquantur, atque elegantius retinetur *ultro*, quo gravius inſolentia muſcae retunditur: qui porro de *τῷ tardandum* tenriendum ſit diximus Diſſert. I. §. VIII.

(*) Phaedrus: *quam dulcis ſit libertas breviter proloquar.*

(1) Verſiculus, quem exhibebant Codices Pithoeanus et Remenſis, parum a noſtro diſcrepans, Gudio teſte, hujuſmodi erat

Forte occurrit, dein ſalutantes invicem

vulgatior vero:

Forte occurrit, ſalutantes dein invicem.

Sed neutra lectio Doctis arriſit. Quamobrem Salmaſius legit *dein ſe ſalutant invicem*. Heinſius *ſalutando invicem*, vel *dein ſalutant invicem*, quod Burmannus recepit. Bentleius

Forte occucurrit, dein ſalutans, invicem &c.

et Franciſcus Hare

Forte occucurrit dein ſalutant ſe invicem.

Quanti haec omnia facienda ſint alii viderint; certe quidem lectio noſtra non recta modo eſt, ſed praeſtare etiam ceteris videtur. Etenim tum ſimplicior et perſpicuior eſt, tum quadam etiam auctoritate firmatur ceterorum Codicum. Propterea nil fidenter in eo immutaverim. *Dein* diſſyllabum quoque eſt, et poſt quartum pedem apparet caeſura. Dubitari tamen non poteſt quin numeroſius ſcriberetur *occurrit forte*, quod probavit Guietus, vel *forte occucurrit* quod placuit Bentleio, Hare, et Iuvenatio noſtro, cuius verba ad vulgatum verſic. libenter adſeram, quum vehementer probent iudicium Viri. Scribit igitur: *Verſus inconditus, nec Phaedro dignus, quippe cuius utraque διποδία integro verbo terminetur de quo ad fab. 29. lib. I. Emendarim cum Bentleio*

Forte occucurrit, dein ſalutans invicem

aut ſi placet etiam ſalutanti invicem *cani nempe, quicum poſt dictam ſalutem loqui incoeptat. Bentleius paullo aliter medicinam facit, et adverbium* invicem *cum ſequenti* reſtiterunt

con-

Ut reſtiterunt; unde ſic, quaeſo, nites,
Aut quo cibo feciſti tantum corporis?
Ego, qui ſum longe fortiôr, pereo fame.
Canis ſimpliciter, eadem eſt conditio tibi,
Praeſtare domino ſi par officium potes.
Quale (2), inquit, ille? Cuſtos ſi fueris (3) liminis,
A furibus tuearis (4) noctu domum.
Ego vero ſum paratus; nunc patior nives
Imbreſque, in ſilvis aſperam vitam trahens:
Quanto eſt facilius mihi ſub tecto vivere,
Et otiôſum largo ſatiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aſpicit

coniungit, muſis opinor, invitis, et haud ſcio an ſatis latine. Poſſet et dein ſalutat invicem, *quod ne ipſum quidem diſpliceret. Denique dum ne prima et media διποδια finitis pedibus et dictionibus plurium ſyllabarum quae habeant proximam ab ultima longam, claudatur, probetur per me quidvis.* Ad fabulam autem 29. lib. I. quam ſuperius adduxit, arguens Desbillonii verſiculum

Roſtrumque aprugnum deriſit procaciter

quem is Phaedriano ſubſtituerat, haec adnotavit: *Hunc verſum in Ennio, Plauto, Terentio ferrem in Phaedro non fero. Et indignaretur iſte puto, ſi viveret, tam inficetos, et inartificiales numeros ſibi obtrudi. Quaeris quamobrem? quod nuſquam ipſe, ſcilicet in tot millibus verſuum unam alteramque διποδιαν, ſi non interciſa, ſed plena integraque ſit, ita ut χωλον conſtituat, dictionibus 2, 3, aut plurium ſyllabarum, quae penultimam habeant longam claudere ſolet. Et videtur is certe, ſi recte attendamus, hanc legem dedita opera ſibi inpoſuiſſe, hancque veluti propriam et inſignitam notam unde eius ſenarii agnoſcerentur, eſſe voluiſſe. Quorſum id autem, et quanti referat, videant quibus tantum otii eſt.*

(2) *Quale.* Vulgo *quod.* Noſtrum rectius.

(3) *Si fueris.* Editi *ut ſis*, et recte quidem ob leges carminis, ſed το *ſi* placeret. Quidni *ſi ſis?*

(4) Hic deſideratur particula *et*, quam metrum et ſententia poſtulant. Habent porro libri omnes.

Lupus a catena collum detritum cani (5).
Unde hoc, amice? Nihil eſt. Dic, ſodes (6), *tamen:*
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quieſcam, et vigilem nox quum venit (7).
Crepuſculo ſolutus, qua viſum eſt, vager (8).
Affertur ultro panis; de menſa ſua
Dat oſſa dominus, fruſta iactant famuli (9),
Et, quod faſtidit quiſque, pulmentarium.
Sic ſine labore venter impletur meus.
Age, ſi quo abire vis, eſt licentia? (10)
Non plane eſt, inquit. Fruere his (12) *quae laudas canis,*
Regnare nolo, niſi libertatem habeam (13).

(5) *Cani*. Vulgo *Canir*. Illud elegantius, et ex Phaedri ſtilo. Heinſius et Bentleius rem ex coniectura iam viderant.

(6) *Sodes*. Editi *quaeſo*. Perinde eſt.

(7) *Venit*. Editi *venerit*, et recte ad metrum, ſi ecthlipſim in verſiculo adhibeamus, ſecus noſtrum retineri poteſt in praeſenti tempore.

(8) *Vager*. Editi *vagor*, et ut puto melius.

(9) *Iactant famuli*. Vulgo *iactat familia*. Quamobrem, ſi attendatur, genuina lectio eſſe videtur *iactant familia*. Et re quidem vera anonymus Fabulator a Nilantio editus habet *proiiciunt familia*, et ad fab. X. huius libri v. 24. Codex Pithoeanus et Remenſis habebant dum *concurſant familia*. Loquendi autem modus et ceteris ſcriptoribus minime inſolens eſt.

(10) Deeſt verſui ſyllaba. Sed commode legi poteſt

Age ſi quo abire tu vis eſt licentia?

Nam vocula *tu* neque abs re eſt, neque difficile excidere potuit. Libri autem editi habent

Age, ſi quo abire eſt animus,
eſt licentia.

Eleganter quidem, ſed tria *eſt*, quae ſe e veſtigio excipiunt male afficiunt aurem. Ideo Guietus emendabat *age ſi quo erit abire*. Heinſius *age*; *ſi quo fert ire animus*. Schefferus *age ire quo fert animus*. Niſi fallor, lectio noſtra non iniuria his omnibus praeferri poteſt.

(12) *His*. Vocula deeſt in editis: Damnum non eſt, ſed rectius recipitur. Romulus Nilantii fab. XXXIV. *fruere bis quae laudaſti* (Canis).

(13) Vulgatus verſiculus huiuſmodi eſt:

12. FAB. VIII. LIB. III. num. 57.

FRATER ET SOROR.

De ſpeculo ab adoleſcentibus aſpiciendo.

Habebat quidam filiam turpiſſimam
Idemque (1) *inſigni* (2) *et pulchra facie filium.*
(3) *Speculum, in cathedra matris ut poſitum* (4) fuit,
Pueriliter ludentes forte inſpexerunt (5).

Hic

Regnare nolo, liber ut non ſim mihi.

Sed quae eius ſententia eſt? Abſurda ſi gravius expendatur, ſi aequiori modo ſumatur ambigua et incerta. Ideo mirari ſubiit quomodo Critici, qui tam lubenter ad loca notae longae melioris manus admoverant, ab iſto ſe tempetaverint. Videretur rectius, vel ſaltem clarius legi potuiſſe

Regnare nolo, liber ſi non ſim mihi:

Sed lectio Codicis perſpicua plane eſt, et recipi recte poteſt, ſi ad leges carminis reducatur, ſcribendo

Regnare nolo, libertatem niſi habeam.

(1) *Idemque*, quemadmodum multi ex libris editis; alii habent *itidemque*, ſed qua auctoritate neſcio.

(2) *Inſigni*. Plerique ex editis *inſignem*. Noſtrum vero, Burmanno teſte, multi docti viri ex coniectura reſtituerant. Quin et ipſe eam lectionem plurimis exemplis firmat in Comm. novo.

(3) Hoc loco in MSS. Pithoeano et Remenſi fuit *bis*, in libris editis eſt *bi*, quod recte retinetur: non male tamen abeſt, etiam quia verſiculus ſine eo numeris ſuis recte conſtat.

(4) *Ut poſitum*. In Codicibus Pithoeano et Remenſi erat *ſubpoſitum*, quod propterea non ſemel editum eſt; ſed Tanaquillus Faber iure lectionem reiecit, et noſtram ex coniectura reſtituit. Ceteri Critici pedibus in ſententiam eius iverunt.

(5) *Inſpexerunt*. Poſtremis literis deficientibus verbo in Codice noſtro, ita legere placuit, quum id ſententia poſtulare videatur, et revera uterque Codex, Gudio teſte, exhibuiſſent. In omnibus libris, quos novi, receptum et ſervatum eſt *inſpexerant*, ſed qua ratione et auctoritate non video.

Hic ſe formoſum iactat, illa iraſcitur,
Nec gloriantis fratris ſuſtinet (6) *iocos.*
Accipiens, quid enim? cuncta in contumeliam.
Ergo ad Patrem decurrit (7) *laeſura invicem.*
Magnâque invidiâ criminatur filium (8).
Ille amplexus utrumque (9), *et carpens oſcula,*
Dulcemque in ambos caritatem partiens:
Continue (10), *inquit, ſpeculis* (11) *vos uti volo:*
Tu formam ne corrumpas nequitia (12) *malis,*
Tu faciem ut iſtam moribus vincas (13) *bonis.*

(6) *Fratris ſuſtinet*. Editi *ſuſtinet fratris*.

(7) *Decurrit*. Gudio auctore, hoc retinebant etiam MSS. Pithoeanum, et Remenſe, atque egregia ſententia, quemadmodum Burmannus quoque obſervavit. Nihilo ſecius in plerisque libris vulgatum eſt *cucurrit*.

(8) Poſt hunc, verſiculus deeſt, qui in Editis huiusmodi eſt:

Vir natus quod rem feminarum tetigerit.

(9) *Ille amplexus utrumque*. Ex Codicibus Pithoeano et Remenſi alter habebat *utrumque ille amplexus*, alter *ille utrumque amplexus*. Sed neutrum ad leges carminis recte procedebat, ideo nonnulli ediderunt *amplexus utrumque ille*, quod auribus aſperum, alii *amplexus ille utrumque* quod ferri poteſt. Verum neſcio an unum quod ſupererat, nempe *utrumque amplexus ille*, ceteris praeferendum iure fuiſſet.

(10) *Continue* Editi *quotidie*. Noſtrum maiorem vim praeſefert.

(11) *Speculis*. Editi *Speculo*, quod elegantius videtur.

(12) *Nequitia*. Mendum eſt. Scribendum eſt *nequitiae*, quod ſententia plane poſtulat, et libri omnes recte retinent.

(13) *Vincas*, quod lectionem vulgatam firmat. Sat enim operoſe et docte Vilhelmus Trillerus in Obſerv. Critic. lib. III. c. 27. oſtendere conatus fuerat a Phaedro fortaſſe ſcriptum fuiſſe *pingas*.

13. FAB. X. LIB. III. num. 9.

AUCTOR.

De fide non adhibenda temere, et adhibenda opportune.

Periculoſum eſt credere, et non credere.
Utriuſque exemplum breviter ponam (1) rei.
Hippolitus obiit, quia novercae creditum eſt;
Caſſandrae quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda eſt veritas ſemper (2), prius
Quam ſtulte prava (3) iudicet ſententia;
Sed fabuloſam ne vetuſtatem aſſeras (4)

Nar-

(1) *Ponam*. Vulgo *exponam*. Noſtrum elegantius eſt, et quum Rimicius lib. III. fab. 8. habeat *auctor poſuit talem fabulam*, probatum quodammodo et genuinum haberi poteſt. Placuit etiam Burmanno ubi in Schedulis Dorvillianis deprehendit, et lectioni editae praetulit. Verum tamen totum verſiculum legere malebat hoc pacto

Utriuſque breviter exemplum ponam rei.

Non quidem male, praeſertim ſi vera ſunt, quae de integris dipodiis nos paullo ſuperius docuit Iuvenatius. Sed quum *utrius* mediam producere poſſit, et propterea caeſuram in verſiculo inducat, ego tutius totam lectionem Codicis tetinerem.

(2) *Semper*. Vulgo *multum*. Noſtrum praeſtat, nam hic de omni veritate exploranda agitur, ideoque iure Bentleius probare non poterat lectionem librorum editorum.

(3) *Stulte prava*. Editi *Vulta prave*. Noſtrum rectius, quod iam Burmannus ex coniectura vidit, ideoque lubentius probavit, ubi in Schedulis Dorvillianis deprehendit.

(4) Hunc verſiculum Codices reliqui, libri editi, Critici varie protulerunt. MSS. Gadio teſte habuerunt

Sed fabuloſam ne vetuſtatem levem,

libri editi modo

Sed fabuloſam ne vetuſtatem elevem

modo *Sed fabuloſa ne vetuſtate elevem*.

Cri-

Narrabo tibi quod memoria (5) factum eſt mea:
Maritus caſtam (6) quum diligeret coniugem,
Togamque puram compararet (7) filio,
Seductus in ſecretum a liberto eſt (8) ſuo,
Sperante heredem fieri ſe (9) proximum.

Hic

Critici tandem illud *levem* etiam in *eleves*, *elevent*, *elever* immutarunt. Noſtra tamen lectio, non modo his omnibus praeſtat, ſed, niſi fallor, ut plane probata haberi poteſt. Nam, ſi de illis verbis agitur *ſed fabuloſam ne vetuſtatem*, quum uterque Codex Pithoeanus et Remenſis habuerint, et pleraeque veteres et recentiores editiones ſuſceperint, de eorum genuinitate dubitari vix poteſt. Reliquum *aſſeras* ad rem plane facit, ſive *adſerere* eſt *affirmare*, *adducere*, ſive potius *narrare*, ad quam ſententiam uſurpare videtur Martialis lib. X. Epigr. 35. ubi ſcribit

Omnes Sulpiciam legant mariti,
Non haec Colchidos aſſerit furorem,
Diri prandia nec refert Thyeſtae.

Quin contra interpolatum videtur illud *levem*, nam nullam, vel abſurdam habet ſententiam. Neque rei medentur qui *elevem* vel aliud huiuſmodi tenent. Credibile enim non eſt ea a Phaedro proficiſci potuiſſe. Nam qui Apologos, et fictos iocos, quemadmodum ipſemet vocat, proponit, quomodo ſcribere potuit auctoritatem veterum hiſtoriarum, etiam in iis quibus ſapienter vita inſtituitur, a ſe vel ab aliis infirmari? Nonne in ſemetipſum faſces, ut aiunt, ſecureſque expediiſſet? Sed vetuſtarem *fabuloſam* vocavit. Verum quidem. Sed quid tum? Hoc loco Auctor non apologum, non vererem hiſtoriam, de cuius veritate ambigi poterat, ſed rem ſub oculis ſuis factam narrare inſtituit.

(5) *Quod memoria*. Vulgo *memoria quod*. Parum intereſt, noſtrum tamen ad ſyntaxim melius, alterum ad metrum.

(6) *Caſtam*. Editi *quidam*, quod tenendum videtur: nam illud parum opportunum eſt, et paullo poſt iterum occurrit.

(7) *Compararet*. Editi *iam pararet*. Recte, noſtrum tamen reiici nequit, ea etiam ratione quod *comparo* interdum eſt ipſum *paro*. Exempla obvia ſunt.

(8) In Editis hoc loco deſideratur *eſt*. Sed iure ex noſtro repoſuiſſe viſi ſunt Philippus et Desbillonius.

(9) *Fieri ſe*. Ex editis libris recentiores *fuſſici ſe*, quod rectum eſt et elegans. Priores habebant *ſe feciſſe*, et Codices *fuſficiſſe*.

Hic (10), *quum de puero multa mentitus foret,*
Et plura de flagitiis caſtae mulieris;
Adiecit id, quod ſentiebat maxime
Dolituram amantem (11), *ventitare adulterum,*
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incenſus ille falſo uxoris crimine,
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
Suo ſedit (12), *dehinc* (13) *noctu ſubito ianuam*
Intravit, recta cubiculum, infelix (14), *petens,*
In quo dormire natum mater (15) *iuſſerat,*
Aetatem adultam ſervans diligentius.
Dum quaerunt lumen, dum concurſat familia (16),
Irae furentis impetum non ſuſtinens,
Ad lectum vadit (17), *tentat in tenebris caput,*
Ut ſenſit (18) *tonſum, gladio pectus transfigit* (19) *Ni-*

(10) *Hic*. Vulgo *qui*.

(11) *Dolituram amantem*. Editi *dolituram amanti*: Non male, ſed noſtrum praeferendum videtur; nam doleo cum accuſandi caſu, ceteris paribus, vehementiorem habet vim, et neſcio quem clariorem et manifeſtiorem dolorem oſtendit.

(12) *Suo ſedit*. Editi *ſubſedit*, quod rectius eſt, et ex proprietate verborum. Ad eam ſententiam uſurpat Cicero pro Milone c. 19. Seneca Hippol. v. 52. atque alii.

(13) *Dehinc*. Editi *deinde*.

(14) *Infelix*. Huius vocis loco vulgo *uxoris* legitur. Noſtrum praeſtare videtur. Nam adhibetur appoſite, et mollius ad atrocia animum praeparat; alterum contra haud opportunum eſt, praeſertim quia paullo ante uſurpatum fuit.

(15) *Natum mater*. Vulgo *mater natum*.

(16) *Concurſat familia*. Codices reliqui, et multi ex libris editis *concurſant*. Noſtra lectio recta eſt, et ab aliis recepta, ſed alteram genuinam dicerem.

(17) *Vadit*. Vulgo *accedit*. Illud dubio procul praeſtat. Burmannus etiam in Excerptis rem vidit.

(18) *Senſit*. Editi *ſentit*.

(19) *Transfigit*. Uterque Codex Pithoeanus et Remenſis, auctore Gudio, idem plane habuerunt. Sed probari non potuit, nam ſpondaeum, ut omnes praedicant, in poſtrema ſede Iambus plane reiicit.

Qua-

Nihil reſpiciens, dum dolorem vindicet.
Lucerna adlata, ſimul adſpexit filium,
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quae nil ſomno ſenſerat:
Repraeſentavit in ſe poenam facinoris,
Et ferro incubuit, quod credulitas ſtrinxerat.
Accuſatores poſtularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad Centumviros;
Magna inſolentem (20) *deprimit ſuſpicio,*
Quod bona poſſidet (21): *ſtant patroni, fortiter*
Cauſſam tuentes innocentis feminae.
Pontificem maximum rogarunt Iudices (22),
Ut adiuvaret iurisiurandi fidem,
Quando (23) *ipſos terror* (24) *implicuiſſet criminis.*
Qui poſtquam fontem veritatis reperit (25)
Luat,

Quamobrem Salmaſius legebat *tranſficit*, et Rittershuſius *tranſfixit*, quod in libris fere omnibus, et non iniuria, receptum eſt.

(20) *Magna inſolentem*. Editi *maligna inſontem*, quod rectius videtur. Lectionem tamen Codicis non reiecerim. Commode enim hic femina dicitur *inſolens*, quae nil huiuſmodi audere et moliri antea viſa fuerat. *Malarum artium inſolentem* vocaſſet Salluſtius (Bell. Cat. c. 3.). Praeterea paullo poſt eſt *innocentis*.

(21) *Poſſidet*. Hoc recipi poſſet, niſi obſtaret lex carminis. Libri editi habent *poſſideat*, quod propterea tenendum eſt. Salmaſius legere malebat *poſſidat*, quod lucretianum eſt, et propius ad noſtrum accedit.

(22) Hunc verſiculum libri editi exhibent hoc pacto

A Divo Auguſto tunc petiere iudices

inſignis diſcrepantia, ſed de ea re non pauca diximus in Diſſert. I. §. IX.

(23) *Quando*. Vulgo *quod*. Illud ni fallor gravius eſt.

(24) *Terror*. Mendum manifeſtum. Legendum eſt *error*, quemadmodum libri omnes habent.

(25) Is verſiculus contractus eſt ex duobus, qui in Editis huiuſmodi ſunt:

Qui poſtquam tenebras diſpulit calumniae,
Certumque fontem veritatis reperit.

Luat, inquit, poenas peſſimus libertus; (26)
Namque orbam nato ſimul, ac (27) *privatam viro,*
Miſerandam potius, quam damnandam exiſtimo.
Quod ſi delatum bene ſcrutatus crimen (28)
Paterfamilias eſſet, ſi mendacium
Subtiliter limaſſet, a radicibus
Non evertiſſet ſcelere funeſto domum.
Nil ſpernat auris, nec tamen credat ſtatim,
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putas (29),
Et qui non peccant impugnantur fraudibus.

(26) *Peſſimus libertus.* Haec uti iacent probari in verſiculo nequeunt. Secus enim et ſyllaba brevior eſſet, et Spondaeum haberet in ſexta. Commode tamen reſtitui poſſet ſi ſcriberetur

Luat poenas libertus, inquit, peſſimus.

Sed, ut verum fatear, probatiorem puto vulgatam lectionem quae ſic ſe habet:

Luat, inquit, poenas cauſſa libertus mali.

(27) *Simul ac.* Editi *ſimul et*, quod praeferrem: illud enim ſaltem ambiguam habet ſententiam.

(28) Hic verſiculus aliquo pacto corruptus apparet, quum ſyllaba truncus ſit, et ſpondaeo claudatur. Verum tamen ad genuinam, ni fallor, lectionem reſtituetur, ſi ſcribatur

Quod ſi delata bene ſcrutatus crimina.

Etenim non unum *crimen* delatum fuit marito, ſed plura, et *crimina* libri omnes exhibent. Hi vero non retinent reliqua aeque ac noſter. Nam vulgatior eorum lectio habet *damnanda perſcrutatus*, quod Criticis non placuit, ideoque Schefferus reponebat *clam tanta*, Heinſius *enodanda*, Gudius *tam infanda*, Burmannus *donanda, nefanda, commenta*, et tandem noſtrum *delata*, quod propterea ubi in Schedulis Dorvillianis deprehendit gravius probavit. Et re quidem vera niſi hoc genuinum eſt, quod eſſe poterit neſcio.

(29) *Putas.* Editi *putes.*

14. FAB. XI. LIB. III. num. 25.

EUNUCHUS AD IMPROBUM.

Haud insectandum esse fortunae vitium.

Eunuchus litigabat cum quodam improbo,
Qui, super obscoena dicta et petulans iurgium,
Damnum insectatus est amissi corporis.
En, ait, hoc unum est, cur laborem validius,
Integritati (*) *testes quia desunt meae.*
Sed quid fortuna stulte delictum arguis?
Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

15.

(*) *Integritati . . . . . meae.* Editi *integritatis . . . . nihi*, non quidem male, sed illud elegantius est, et plane ad Phaedri stilum.

15. FAB. XII. LIB. III. num. 59.

PULLUS AD MARGARITAM.

Contra eos qui res optimas non guſtant.

In ſterquilinio pullus gallinaceus
Dum quaerit eſcam, margaritam reperit.
Iaces indigno quanta res, inquit, loco!
Hoc ſi quis (1) *pretii cupidus vidiſſet* (2);
Olim rediſſes ad ſplendorem priſtinum (3).

Ego

(1) *Hoc ſi quis*. Reliqui Codices eadem habuerunt, Gudio teſte, qui lectionem quoque probavit. Eaque porro in multis libris vulgata ſunt. Rigaltius tamen legete maluit *O ſi quis*. Alii Critici *Te ſi quis*, et Iuvenatius *O ſi te*. Huius verba ſunt ad hunc locum Edit. vulg. *Legerem* O ſi te pretii; *ſatius eſt enim pronomen* quis *hîc quidem deſiderari, quam quartum caſum, qui a verbo regatur. Sic ſupra* Spoliatus igitur caſus quum fleret ſuos *hoc eſt, qui fuerat ſpoliatus, ut hîc* cupidus *pro eo, qui cupidus eſſet*. Haec Iuvenatii obſervatio et acuta et recta eſt, ſed aeque facit ad noſtram lectionem, quam propterea, ubi tanta librorum MSS., et editorum auctoritas firmat ceteris omnibus tuto praeferrem.

(2) Deſidetatut hîc vox *tui*, quam Editi omnes rectiſſime retinent. Sed idipſum, ni fallor, et ſuperiorem et ſequentem lectionem aliquo pacto firmat. Fieri enim potuit, ut qui haec ſcriberet, quum videtet eamdem rem uno tempore ad duas perſonas, quas Grammatici vocant, ſpectare, alteram expunxerit.

(3) *Priſtinum*. Vulgo *maximum*. Noſtrum plane praeſtat, tum quia melius ad tem facit, tum quia *το redires* huiuſmodi verbum poſtulat. Quin ut probatum protſus et genuinnm haberi poteſt, quum in hac ſabellâ retineat uterque Romulus, et alius Fabulator antiquus, ipſe quoque Phaedri interpres, quem edidit Baſileae Sebaſtianus Brantius anno 1501. Neque praetereundum eſt Bentleium et Burmannum vocem ex coniectura reſtituiſſe, et vulgatae praetuliſſe.

Ego quod te inveni (4), *cui potior eſt cibus* (5),
Nec tibi prodeſſe, nec mihi quidquam poteſt (6).

16. FAB. XIII. LIB. III. num. 27 et 46.

APES ET FUCI VESPA IUDICE (*)

Ubi dubia eſt ſententia aſtu utendum eſſe. n. 27.
Pulcher modus iudicandi. n. 46.

Apes in alta fecerant quercu (1) *favos:*
Hos ſuci inertes eſſe dicebant ſuos.

Lis

(4) *Ego quod te inveni.* Haec plane in Codice. Burmannus tamen in Excerptis *Ego quod inveni.*

(5) Hic verſiculus in libris editis ſaepe legitur huiuſmodi

Ego qui te inveni, potior cui multo eſt cibus.

Sed Gudius repoſuerat *Ego quî te inveni?* etc. quod Bentleius, Burmannus, aliique plures receperunt. Burmannus autem comperto Codice Perottino legere maluiſſet *Ego quo te inveni?* Sed noſtra lectio tota, ut eſt, retineri pulchre poteſt, quum ſententiam iuſtam habeat, et leges carminis ſervet. *Multo* haud plane requiritur, et *ego* alteram ſyllabam recte producit. Tollius porro iam coniecerat ſcribendum eſſe *Ego quod te inveni.*

(6) *Poteſt.* Vulgo *potes.* Noſtrum optimum, nam reliquis egregie reſpondet. Verbum non ad ipſam margaritam, ſed ad eius inventionem refertur. Grammaticè caſus nominativus, qui *τῳ poteſt* copulatur, eſt tota dictio *quod ego inveni te.* Quamobrem recte lectionem noſtram retinuerunt Heinſius, Tollius, Bentleius, et Hoogſtratanus. Et, ſi attendatur, haud difficile patebit totam fabellam ad hidem Codicis Perottini eſſe reſtituendam.

(*) Haec fabella occurrit bis in Codice. Exempla eadem ſunt: vix unum alterumve eſt, et minimum, in quo diſcrepent. Nos id adnotabimus: ſi lubet, recoli etiam poſſunt, quae de ea re animadvertimus in Diſſert. Prael §. X.

(1) *Fecerant quercu.* Sic utrumque exemplar; Burmannus in Excerptis velut ac ab altero tantum proditum exhibuit.

Lis ad forum deducta eſt (2), *veſpa iudice;*
Quae genus utrumque noſſet (3) *quum pulcherrime,*
Legem duabus hanc propoſuit partibus:
Non inconveniens corpus, et par eſt color,
In dubium plane res ut merito venerit;
Sed, ne religio peccet imprudens mea,
Alveos (4) *accipite, et ceris opus infundite;*
Ut ex ſapore mellis et forma favi,
De quîs nunc agitur, auctor horum adpareat.
Fuci recuſant, apibus conditio placet.
Tunc illa talem pertulit (5) *ſententiam:*
Apertum eſt quis non poſſit, et (6) *quis fecerit:*
Quâpropter apibus fructum reſtituo ſuum.

buit. Vulgo legitur *quercu fecerant*: noſtrum, ni falluut aures, numeroſius.

(2) *Lis ad forum deducta eſt.* Haec unum exemplar, et ea plane, quae libri omnes retinent. Alterum *lis deducta ad forum eſt*.

(3) *Noſſet*. Ita utrumque exemplar, et prorſus clare. Interea Burmannus, ſive Dorvillii errore, ſive ſuo, edidit *noſcet*. Ceterum ea lectio vulgatiſſima eſt.

(4) *Alveos*. Id utrumque fabellae exemplum, et plerique libri editi habent. Ceteri *alvos*, quod Critici, Pithoeani et Remenſis Codicis auctoritate praeſertim tuentur. Dubitari nequit, quin lectio rectiſſima ſit, ſed aeque certum eſt et noſtram eſſe probatam. Nam etiam MSS. vocem ſervant, quemadmodum obſervavit Burmannus ad Declamat. XIII. Quintiliani c. 10. *Alveos* porro per ſynaereſin dissyllabum eſt, et ipſe Virgilius Aeneid. VII. v. 34. illo

Adſuetae ripis volucres, et fluminis alveo.

exemplum rei praebuit.

(5) *Pertulit*. Alterum exemplum habet *protulit*, quod magis placet, utque genuinum haberi poteſt. Burmannus in Excerptis magnopere probavit, et vulgato *ſuſtulit* praetulit. Quam operoſe profecto et fruſtra adlaborarunt Interpretes, ut verbum huiuſmodi ad ſententiam Phaedro dignam perducerent!

(6) *Et*. Vulgo *aut*. Noſtrum non modo praeſtat, ſed, niſi fallor, unice tenendum eſt. Nam per propoſitas conditiones non alterutrum ex illis, ſed utrumque evincebatur.

17. FAB. XIV. LIB. III. num. 38.

AESOPUS LUDENS.

Relaxandum esse interdum iocis et ludis animum.

Puerorum in turba quidam ludentem atticus
Aesopum nucibus quum vidisset restitit,
Et quasi delirum risit: Quod sensit simul,
Ut derisorem potius ridendum (1) ostenderet (2),
Arcum retensum posuit in media via.
Heus, inquit, sapiens, expedi quid fecerim.
Concurrit populus; ille se torquet diu,
Nec quaestionis positae (3) caussam intelligit:
No-

(1) *Ridendum*. Antea scriptum fuerat in Codice *deridendum*, sed eodem viridi colore, quo ceterae literae scriptae sunt, et propterea, ut videtur, eadem manu, quae libellum exarabat, *re de* cancellis deletum est. Hos fortasse Dorvillius non observavit. Nam Burmannus in Excerptis dedit *deridendum*.

(2) Totus versiculus longe aliter in libris editis occurrit: scilicet in eis legimus

Derisor potius, quam deridendus senex.

Sed praeterquamquod Interpretes nequaquam satisfeciisse visi sunt, quum contenderunt in bonam aequamque partem ad hanc sententiam sumi vocem *derisor*, nescio vero quanta ratione hic Aesopus *derisor* dici possit, quum rem gravem petagat, et sapientiae praecepta tradat. Codicis contra lectio perspicuam habet sententiam, et subiecto pulcherrime congruentem. Versiculus quidem est syllaba longior, sed ad iustos numeros restituetur, si scribamus

Derisorem ut potius ridendum ostenderet,

quod vestigia quoque vulgatae lectionis probare videntur.

(3) *Positae*. In Codice est *positae*. Adnotavimus, quia Burmannus in Excerptis nescio quid confusi hoc loco exhibuit. Ceterum lectio receptissima est.

Noviſſime ſuccumbit: tum vero (4) *Aeſopus* (5):
Cito rumpes arcum, ſi tenſum ſemper (6) *habueris;*
At ſi laxaveris (7), *quum voles, erit utilis.*
Sic luſus (8) *animo debet aliquando dari,*

(4) *Tum vero.* Libri editi MSS. auctoritate habent *tum victor;* non quidem male, ſed noſtrum ſimplicius eſt, et propius ad Phaedri ſtilum. Burmannus certe in Excerptis alteri praetulit. *Victor* porro opportunum non videtur, quin neſcio ad quam vindictam iniuriarum animum praeparat, unde etiam fortaſſe vocem omnino reſpuebat Meurſius.

(5) *Aeſopus.* Sic uterque Codex Pithoeanus et Remenſis, ſic in multis quoque libris vulgatum eſt. Sed Critici porro lectionem plane reiecerunt, quia ſpondaeum habebat, et conſenſu unanimi probarunt illam Pithoei, qua *ſophus* reponebatur in verſiculo. Id quidem in fabella edita non iniuria receptum eſt, ſed in noſtra requiri videtur *ſenex.* Aeſopus enim quia *ſenex* derideri potuit, ut delirus, quum luderet. Quamobrem, ſi vox deeſſet, neſcio an pulchra et perſpicua tota ſententia procederet. Vox autem probata eſt, ſervant libri editi in hac Fabella v. 4. ut retulimus, et Phaedrus etiam κατ' ἐξοχην Prol. lib. II. v. 8. fab. 14. lib. IV. v. 2. Aeſopum *ſenem* appellat. *Sophus* porro nulla nititur auctoritate, et ad rem plane non eſt: Tum Phaedrus Aeſopum nullo illuſtri cognomine exornare ſolet, et hic quum paullo ſuperius Petulans vocaretur *ſapiens*, quod *ſophus* eſt, neſcio an eleganter et perſpicue eodem nomine, diverſa ſententia, Aeſopus appellaretur.

(6) *Si tenſum ſemper.* Vulgo *ſemper ſi tenſum.*

(7) *Laxaveris.* Editi *laxaris.* Perinde eſt ad ſyntaxim, ſed hoc tenendum eſt ob leges carminis.

(8) *Luſus.* Vulgo *ludus*, quod tueri conatus eſt Scheferus. Sed ſi vim utriuſque vocis gravius perpendimus noſtram fortaſſe praeferemus. Videtur enim quod *dare ludum animo* ſit praebere ei aliquid veluti intuendum et ſpectandum, cuius adſpectu otioſus fruatur. Contra vero *dare luſum* ſit aliquid gratum et iucundum ei indulgere agendumque faciendumque, cuius exercitio ſe oblectet, et relaxet a gravioribus. Aeſopus autem ludebat, non ludentes ſpectabat. Praeterea ad hanc ſententiam *luſum* non *ludum* uſurparunt Ovidius Metam. VIII. v. 190. et III. de Art. v. 372. Seneca de Ira. lib. II. c. 9. Valerius Maximus lib. VIII. Exempl. c. 8. num. 2. et alii plures. Quamobrem in noſtro *luſum* probare iure viſi ſunt Tollius, Hoogſtratanus, et Freinshemius.

Ad cogitandum ut ſic melior redeat (9).

18. FAB. XV. LIB. III. num. 73.

CANIS, ET AGNUS.

Obſtare ſaepe homines naturalibus legibus, meritis capi (*)

Inter capellas agno balanti canis,
Stulte, inquit, erras; non eſt hîc (1) *mater tua;*
Oveſque ſegregatas oſtendit procul.
Non illam quaero, quae, quum libitum eſt, concipit,
Dein fert (2) *onus ignotum certis menſibus,*
No-

(9) Deeſt verſiculo ſyllaba. Ad iuſtum vero metrum commode reſtitui poteſt, ſi ſcribatur

Ad cogitandum ſic ut melior redeat.

Nam *redeat* primam producere poteſt, ut cetera quae a *re* componuntur, quemadmodum Ioſephus Scaliger in Lection. Auſon. lib. II. c. 21. Obertus Giſanius Indic. ad Lucret. Ioſephus Desbillonius ad fab. 18. lib. III. v. 15. *in Addendis* obſervarunt. Atque eo ſane pacto illa quaeſtio ſolveretur, nempe an in vulgato verſiculo

Ad cogitandum melior ut redeat tibi

retinendum ſit *tibi*, an reponendum *ſibi*, quod etiam Iuvenatio placebat. Sed vereor ne duo *ſic* parum commode ſtatim ſe excipiant, ni quaedam antitheſis placeat.

(*) Ex Epimythio Phaedri *Obſiſtere homines legibus, meritis capi.*

(1) *Non eſt hîc.* Codex Pithoeanus et Remenſis, nec non multi libri editi *Non eſt haec.* Schefferus primus, ni fallor, Gudius porro, Burmannus, et ceteri viderunt legendum eſſe *heic* vel *hîc.* Recte; nam lectionem probat tum ſententia, tum auctoritas Codicis noſtri, et Romuli etiam a Nilantio editi, qui fab. XXIII. eam vocem tenet.

(2) *Fert.* Editi *portat.* Hoc rectius quidem puto, illud tamen non reiecerim, quum vox ea ſententia penes probatos Scriptores non raro occurrat. Metrum porro verſiculi ſervatur. *Dein* enim et diſſyllabum eſt.

Noviſſime prolapſam effundit ſarcinam:
Verum illam, quae me nutrit admodum (3) *ubere,*
Fraudatque natos lacte, ne deſit mihi.
Tamen illa (4) *potior, quae* (5) *peperit. Non ita eſt.*
Unde illa ſcivit niger an albus naſceretur (6)*?*
Age porro; patere ſi voluiſſet feminam,
Quid profeciſſet? quum crearer maſculus (7)

 Be-

(3) *Admodum*. Editi *admoto*, quod rectum eſt. Burmannus autem in Excerptis, lectione noſtra inſpecta, *admotum* a Perotto ſcriptum fuiſſe autumavit, inde forſaſſe ad eam coniectionem adductus, quod in Dorvillianis Schedulis, *uberi*, non *ubere* legerit. Sed, quum iſtud perſpicuum et certum ſit, etiam ea coniectionis ſpecies ruit, quae ceterum abſurda prorſus erat, quum bruta animantia non gnatos ad ubera, ſed ubera gnatis admoveant. *Admodum* vero retineri commode poteſt. Nam recte dicitur *nutrire admodum*, *abunde* ſcilicet, *affatim*, *copiose*, et ſententia, ut patet, apte congruit.

(4) Hic libri editi habent *eſt*. Non male, ſed quum facillime ſubaudiatur, rectius expungitur, praeſertim quia aliud ſequitur e veſtigio, et verſiculus eo fit minus numeroſus.

(5) Hoc loco libri omnes editi habent *te*. Sed Burmannus in Comm. novo voculam expunxit, quia *parere* abſolute ſumtum apte etiam faceret ad rem, ideoque ſibi placuit ubi in Schedulis Dorvilliianis deprehendit coniectionem ſuam Codicis noſtri auctoritate firmari. Revera verſiculi ſententia hoc pacto non male procedit, et metrum quoque, ſi vulgatum *eſt* noſtro *potior* poſtponatur. Verum tamen, niſi fallor, re gravius perpenſa longe rectius *te* retinetur. Nam ubi de rebus invidioſis agitur, vel aliqui contendunt invicem pronomina perſonarum, quae vocant, magnam habent vim et ſingularem. Hic *te* exprobrat quodammodo agno ingratum animum. Praeterea ſi *parere* hic eſſet abſolutum, et ad incertam perſonam referretur, haud eo pacto, quo reſpondet, agnus reſpondere debuiſſet.

(6) *Naſceretur*. Libri editi *naſcerer*, et rectiſſime; ſed noſtrum oſtendit in ſuperiori verſiculo illud *te* nequaquam lectum fuiſſe.

(7) Hic et ſuperior verſiculus ſic in unum contracti vulgo leguntur

Age porro, ſciſſet; quum crearer maſculus.

Sed ſi fabella tenetur, et Phaedri filius, non dubito, quin Codicis lectio probetur. Nam eius

Beneficium ſane magnum (8) *natali dedit,*
Ut expectarem lanium in horas ſingulas.
Cuius poteſtas nulla in gignendo fuit,
Cur hac ſit potior, quae iacentis miſerta (9) *eſt* (10),
Dulcemque ſponte praeſtat benivolentiam (11)*?*
Facit parentem (12) *bonitas, non neceſſitas.*

19.

eius ſententia egregia eſt, et ad rem facit. In vulgata contra aliquid eſt, quod deſideres; quamobrem Ludovicus Praschius in colore nigro maſculum, in albo feminam inveniſſe ſibi ratus eſt. Sed illud *niger an albus* ex tritiſſimo proverbio fuit, quod Catullus Carm. in Caeſarem uſurpavit, Plautus Pſeud. IV. 7. v. 99. et alii. Praeterea ſequens verſiculus

Cuius poteſtas nulla in gignendo fuit.

ad ea plane ſpectare videntur, nempe

Age porro, parere ſi voluiſſet feminam,
Quid profeciſſet?

(8) *Sane magnum*. Editi *magnum ſane*. Noſtrum tenerem.

(9) *Miſerta*. Legendum eſt *miſerita* ob leges carminis. Sic libri omnes.

(10) Hunc, et ſuperiorem verſiculum ita quoque exhibent et interpungunt omnes libri editi; et propterea eorum lectio gravius firmatur auctoritate Codicis noſtri. Id autem idcirco obſervamus, quia in ea haeſerunt Interpretes praeſtantiſſimi Barthius, Scheferus, Burmannus. Is praeſertim verſiculos ita legendos et interpungendos autumavit:

Cuius poteſtas nulla in gignendo fuit,
Cur hac ſit potior? Quod iacentis miſerita eſt.

Tum hanc ſententiam appoſuit: Canis quaerit: ea, capella nempe, quae nullam habuit poteſtatem in te gignendo, cur hac, ove ſcilicet ſit potior? Reſpondet agnus, quia ea miſerita fuerit iacentis. Sed ſi licet dicere quod viſum eſt, ego contra vulgatam lectionem egregiam arbitrater. Senſus eſt: Agnus pergit loqui: Cur mater mea, quae nullum arbitrium nullamque poteſtatem habuit in me gignendo, nam ex neceſſitate naturae et fato rerum concepit, erit iſtâ potior, quae ultro et ſponte miſerta eſt iacentis? Si lectores rem, ut par eſt, diligenter excutient, alia plura invenient, quibus haec probent, atque illa omnino refellant.

(11) *Benivolentiam*. Editi *benevolentiam*, quod frequentius uſurpatur. Non deſunt tamen exempla, quae illud tueantur. V. Cellarii Orthogr. latinam.

(12) *Parentem*. Editi *parentes*. Illud elegantius, et, niſi fallor, propius ad Phaedri ſtilum.

19. FAB. XVI. LIB. III. num. 76.

CICADA ET NOCTUA

Non eſſe ſponte alicui faciendam iniuriam; nam qui humanitati ſe non accommodat plerumque poenas dat ſuperbiae. (*)

Cicada acerbum noctuae convitium (1)
Agebat (2), *ſolitae victum in tenebris quaerere*,
Cavoque ramo capere ſomnum interdiu.
Rogata eſt ut taceret; multo validius
Clamare occoepit (3): *Rurſus admota prece*,
Accenſa magis eſt. Noctua ut vidit ſibi
Nullum eſſe auxilium, et verba contemni data, (4)
Hac eſt adgreſſa garrulam fallaciâ:
Dormire quum non (5) *ſinunt cantus tui* (6),
Po-

(*) Ex promythio Phaedri:
Humanitati qui ſe non accommodat,
Plerumque poenas oppetit ſuperbiae.

(1) *Convitium*. Editi *convicium*, et rectius. Illud quidem multis exemplis firmari poteſt: quin unum tuentur Laurentius Valla VI. Elegant. c. 52. Et ipſe Perottus in Cornucopia; Sed hic *convicium* eſt gravis et diuturnus clamor Cicadae, quod propterea *ſtridulum* dixit vetus Poeta apud Schefferum hoc loco qui eum Ovidium appellat. A *voce* ergo eſt, quod tum etymon, tum orthograph. verbi probat.

(2) *Agebat*. Editi *faciebat*.

(3) *Occoepit*. Vulgo *coepit*.

(4) *Data*. Editi *ſua*. Noſtrum rectum eſt. Ad hanc enim ſententiam *dare* egregie uſurpatut a Terentio Heaut. Prolog. v. 16. a Cicerone I. Acad. Quaeſt. c. 3. Virgilio Eclog. I. v. 19. et aliis porro. Verum eſt *verba dare* eſſe *fallere*, *decipere* verbis. Sed nil huiusmodi recipere poteſt lectio Codicis: Quamobrem et iam vulgatae praeferrem, quum *ſua* ſtatim *ſibi* excipiat.

(5) *Quum non*. Editi *quia me non*, quod retinendum eſt.

(6) Poſt hunc verſiculum alius in libris vulgatis exhibetur huiusmodi:

So-

Potare ſi (7) *animus nectar, quod Pallas mihi*
Nuper donavit, ſi non faſtidis veni:
Una bibamus. Illa quae arebat (8) *ſiti,*
Simul gaudebat (9) *vocem laudari ſuam,*
Cupide advolavit. Noctua egreſſa e cavo (10),
Trepidantem conſectata eſt, et letho dedit.
Sic viva quod negarat, tribuit mortua.

20.

Sonare citbara quos putes Apollinis.
vel alius ſimilis, quum variae omnino ſint Ctiticorum lectiones.

(7) *Si*. Editi *eſt*, quod probatum videtur.

(8) *Arebat*. Vulgo *ardebat*. Noſtrum elegantius. Quamobrem Burmannus lectionem graviter probavit in Excerptis. Seneca in Thyeſt. v. 5.
... *penus inventum eſt ſiti*
Arente in undis aliquid ...
Claudianus II. in Rufinum v. 510. *Areſcat decepta ſitis*. Ovidius IV. Epiſt. Heroid. v. 174.
... *arentem quae levet unda ſitim.*
Ad quem locum ipſe Burmannus optime obſervat alrerum verbum non raro in alterum tranſiiſſe Amanuenſium errore.

(9) *Simul gaudebat*. Editi *ſimul cognovit*. Codicis lectio eſt potior, nam ſententia longe melius rei congruit. Quin, ſi attendatur vulgata vix ferri poſſe videtur. Etenim ibi *ſimul* eſt *ſimulac*, ideoque ſenſus loci eſſet: *Cicada quae ſiti ardebat, ſimulac cognovit a noctua laudari vocem ſuam advolavit* etc. Quis haec probabit?

(10) *Egreſſa e cavo*, quemadmodum libri omnes. Et recte ni fallor. Verum quidem Heinſium, Salmaſium, Gudium, Burmannum vulgatam lectionem non probaſſe, autumantes *to e* haud eleganter hic uſurpari, quum probati Scriptores ablativum vel accuſativum abſque praepoſitione adhibuiſſent longe frequentius: Sed nos contra, pace tantorum virorum, tum potius latinae linguae ingenio ſpectato, tum Scriptorum conſuetudine lubenter praepoſitionem recipimus. Cicero VI. lib. Epiſt. ad Attic. 8. *E portu egredi*. In Vatinium c. 12. *Egredi e navi*. Caeſar de Bel. Civil. lib. I. c. 81. *Egredi e caſtris*, et alii plures ſimilia habent. Sed pergit Gudius, et rectius legi putat *egreſſam cavo*, verba ad cicadam referens. Deſideratur hic Gudii iudicium. Evidenter enim ea ad noctuam non ad cicadam ſpectant, eique uni congruunt. Salmaſius legebat *ingreſſam cavum*, ſed nulla vel ratione vel auctoritate. Quamobrem etiamſi illud *e* haud ſatis elegans videatur, quum ſecus lectio corrumpatur, et

Poe-

20. FAB. XVII. LIB. III. num. 13.

ARBORES IN DEORUM TUTELA (*).

Nil agendum esse quod non prosit.

Olim, quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores. Quercus Iovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurus (1),
Pinus Neptuno (2), populus celsa Herculi.

Mi-

Poetae aliquid indulgendum sit, longe tutius et rectius retinetur.

(*) Haec ea fabella est, quam in Cornucopia sua descripsit Perottus, et unde tot concertationes, et tot in eum iudicia orta sunt. Sed hac de re alibi disputavimus.

(1) *Laurus*. Editi *laurea*, ob metrum recte. Attamen in hac ipsa fabella, quam in Cornucopia Perottus protulerat, Bernardus Monera Tom. IV. Menagianae p. 118. legere malebat *laurus et*. Non male, sed vulgata lectio potior.

(2) *Pinus Neptuno*. Libri ediri *Pinus Cybelae*, vel *Cybebae*. Nam alterutrum sat operose tueri conati sunt Critici. Cybebae vero rectius retinetur, ea etiam ratione, quod Codex Remensis, Gudio teste, *Cibe be* exhibuerit. Quidquid autem sit, lectio recta est, eamque arborem Deae sacram magno consensu Veteres tribuunt, quemadmodum observavimus Dissert. Prael. §. X. Nihilosecius vocem, quam Codex noster retinet veluti spuriam et subditiam propterea non refutaverim. Vidimus cit. loc. quam incredibile sit Virum doctum interpolare eam potuisse, et quam contra dignum fide a vetusto MSS. fuisse collectam. Verum porro est Pinum Cybebae sacram praecipue fuisse, sed id haud vetuit, quin et sub tutela aliorum Deorum esse potuerit. Et re quidem vera sacra erat Pani, Silvano, Fauno, ceterisque agrestibus Diis, ut ex Ovidio I. Fastor. v. 412. V. Epistol. v. 137. Propertio I. Eleg. 18. v. 20. Statio Silvar. II. 3. v. 57. abunde patet. Erat Dianae virgini, ut testis Horatius III. Carm. Ode 2. et Propertius II. Eleg. 19. v. 28. Erat Baccho, Plutarcho auctore Sympos. V. Probl. 3. atque ut certum plane et exploratum haberi debet fuisse et Neptuno. Id enim ipse Plutarchus patriarum antiquitatum callentissimus non obiter monet, sed loc. cit. data opera inquirit et decernit. Et re quidem vera, si sub Nep-

tu-

Minerva admirans quare ſterilis (3) *ſumerent;*
Interrogavit cauſſam, dixit Iupiter: (4)

Ho-

ptuni tutela erant naves, quae κατ' ἐξοχην *pini* ſemper dictae ſunt, quomodo eae ipsae non fuiſſent? Ad rem Plutarchus ex verſione Xylandri. Erant ſane *ob navium potiſſimum conſtructiones. Pinus enim et cognatae ei arbores picea et larix cum ligna navigiis aptiſſima ſuppeditant, tum picis et reſinae unguentum, ſine quibus compactorum lignorum nullus erat futurus uſus in mari.* Praeterea idem doctiſſimus Scriptor in Theſeo §. 27. Ariſtides Rhetor in Orat. Iſthmica Tom. I. Oper. num. 3. Pyndarus Olymp. Od. VIII. στροφ. γ. et Nemeor. Ode. V. στροφ. γ. Scholiaſtes eius ad Argum II. Iſthm. Scholiaſtes Apollonii ad lib. III. Auſonius Idyll. XXVI. aliique plures auctores ſunt ludos Iſthmios Neptuno ſacros fuiſſe, ideoque tum in ipſa Iſthmo, tum Sycione et pinei luci et templa celeberrima ſub Iſthmici nomine ei poſita fuere, de qua re Plutarchus In Pompelo, et Plinius lib. IV. hiſtor. nat. meminerunt. Atqui Victores ex more vetuſtiſſimo Corona pinea in eis coronabantur, ut Plutarchus teſtatur loc. prim. cit. et in Timoleont. Lucianus de Gymnaſiis, Plinius lib. XV. c. 10. Dion Chryſoſtomus Orat. 9. de Iſthm. Scholiaſtes Nicandri in Alexipharm. et corona, ut omnes norunt, ex arbore Deo ſacra plectenda erat. Vide Carolum Paſchalem *de Coronis*. Conſtat tandem Neptunum nuncupatum fuiſſe *Phytalmium*, et ea quidem de cauſsa, ut animadverrit vir doctiſſimus Iulius Caeſar Scaliger de Comoed. et Tragoed. c. 22., quod illa arbor nempe *pinus* ſub eius eſſet tutela. Et re vera, φυτάλμιος, ni fallor, eſt a φυτος planta, et ἁλμη ſalſilago, amaritudo, ita ut Neptunus vocaretur *Deus amarae arboris*. Atqui *Pinus* κατ' ἐξοχην dicta eſt amara arbor. Nam Graeci appellarunt πευκην, quod a πικρος amarum recte derivatur. Homerus certe ἀχεπευκες vocat, quod amarum eſt, quemadmodum obſervat ipſe Euſtathius ad v. 51. Iliadis A. §. 63.

(3) *Sterilis*. Editi *ſteriles*, quod, ut modo ſcribimus, rectius retinetur, ſed in veteribus Codicibus accuſativi caſus nominum tertiae declinationis frequenter occurrunt exeuntes in *is*, et propterea non iniuria recepti interdum ſunt in libris editis.

(4) Hic et ſuperior verſiculus hoc pacto vulgo interpunguntur:

Minerva admirans: quare ſterilès ſumerent?
Interrogavit. Cauſſam dixit Iupiter.

Quod Burmannus in Scheffe-rum et Bentleium tueri conatus eſt. Ille enim interpunctionem noſtram in ſecundo, hic in utroque probabat: Sed

Bur-

Honorem fructu (5) *ne videamur vendere*
At mehercules inquit quod quiſque voluerit, (6)
Oli-

Burmannus, pace tanti viri dixerim, operam luſit. Nam primum, ſi vulgata recipitur, ſtatim in illo *admirans* haeremus. Neſcimus enim quae admirationis cauſſa fuerit, neque facile quid ſimile expectamus, quum eae arbores in pretio ſint atque honore, neque omnes vere ſteriles; praeterea non arbitrarer, ut alii autumant, tam abſolute vocem uſurpari poſſe. Schefferus quidem adducit exemplum ipſius Phaedri qui lib. IV. fab. 17. v. 14. ſcribit

Mirati ſibi legatos non revertier.

Et Ciceronis, qui ad Atticum lib. VI. epiſt. 9. *admiratus ſum*, ait, *quod tua manu ſcripſiſſes*. Sed neſcio quomodo doctus Vir immane diſcrimen non animadvertit. In his et ceteris ſimilibus exemplis ſubiectum manifeſtum eſt, et tota dictio eſt accuſativus, ut Grammatici loquuntur. Sed in illa lectione non modo nullum in verbis eſt, ſed ex ipſis rebus haud faciilime eruitur. Quod ſi verum eſt neceſſario ſecundus quoque verſiculus ad fidem Codicis interpungendus eſt, ut ſententia recte conſtet. Sunt porro exempla quae loquendi modum firment. Pompeius ad Ciceron. in Epiſtol. huius ad Attic. VIII. ep. 12. *Miror quid cauſſae ſit, quare conſilium mutaveris*. Frontinus lib. III. Stratag. l. 2. *victoribus deinde ſuis cauſſam tam facilis eventus requirentibus dixit: tunc illos victoriam adeptos etc.*

(5) *Honorem fructu*. Ita etiam in Cornucopia, atque in multis Phaedri editionibus. In aliis tamen libris vulgatum eſt *honore fructum*, ſed illud potius, quemadmodum plutibus oſtendit Burmannus in Comment. novo.

(6) Huius verſiculi lectio vulgatior eſt

At me hercules narrabit quod quis voluerit.

Sed Urſinus reponebat *At haec me hercule narret*. Schefferus *at mi Hercules narret*. Guvetus *at me narrabit hercules*. Heinſius, praeter alia, *at mehercle narret quiſque quidquid*. Bentleius *at mehercule illa narret*. Philippus tandem noſtram cum vulgata miſcens edidit

At mehercule, inquit, narret quod quis voluerit.

Quid probabimus? Ego potius Codici preſſius haererem. Nam, niſi animus fallit, videretur pauciſſimis immutatis lectionem veroſimiliorem exſurgere poſſe. Quid ſi legeretur

At mehercule inquiat quod quiſque voluerit?

Inquiat probatum eſt. Priſcianus, cui hiſce in rebus facile credas, init. lib. X. hanc vocem legit in Cap. 2. lib. IV. Rhetor. ad Herennium, quorum auctorem, ut plerique alii viri doctiſſimi, ipſum Ciceronem putabat. Quin tam cer-

Oliva nobis propter fructus (7) *eſt gratior.*
Tum ſic (8) *deorum Genitor, atque hominum Sator:*
O nata merito ſapiens dicere omnibus,
Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.

21. FAB. XVIII. LIB. III. num. 15.

PAVO AD IUNONEM

Oportet omnes contentos eſſe ſorte ſua.

Pavo Iunonem convenit (1), *indigne ferens*
Cantus luſciniae (2) *quod ſibi non tribuerit:*

Il-

certus erat lectionem et veram et probatam eſſe, ut rarus fuerit ex analogia dici poſſe *inquiam etc.* Verbum porro longe aptius adhibetur, quam frigidum *narret* vel *narrabat*, et quum Minervae verba neſcio quem vulgarem loquendi modum, et commune adagium innuant, lectionem nostram non leviter firmant. Certe Trebellius Pollio in Mario Tyranno ad hunc modum ſcribit: *Sed dicat quiſque, quod vult.*

(7) *Propter fructus.* Ita quoque Codex Remenſis, Gudio teſte, et priores editiones dubio procul ex fide MSS. Pithoeani. Deinceps vero vulgatum eſt *propter fructum*, quum ſecus verſiculus recte conſtare pedibus non potuiſſet.

(8) *Tum ſic.* Vulgo *tunc ſic.*

(1) *Pavo Iunonem convenit.* Editi *Pavo ad Iunonem venit.* Noſtrum videtur elegantius, quum iſta humani ingenii ſollertia apte in fabellis brutis animantibus tribueretur. Quin Burmannus in Excerptis eo etiam ex capite probat *convenit*, quod Cicero et Terentius ad ſententiam ſimilem plerumque uſurpent. Metrum porro ſervatur, ſive *convenit* mediam producat, ſive corripiat. Nam *pavo* alteram ancipitem habet. Ego tamen *convenit* ut praeteritum, quod vocant, tenerem. Phaedrus enim, ſi memini, numquam fabellas ſuas verbis praeſentis temporis adgreſſus eſt.

(2) *Luſciniae.* Vulgo *luſcinii*, quod improbari nequit. Non enim verum eſt, quod autumabat Rittershuſius, vocem eo genere in unis Phaedri libris occurrere, quemadmodum ſatis ſuperque oſtenderunt Faber, Schefferus, Gudius, et Burmannus. Sed contra verum quoque eſt, noſtram longe frequentius adhiberi, et tutius propterea a nobis uſurpari.

Illum eſſe cunctis avibus (3) *admirabilem,*
Se derideri ſimulac vocem miſerit.
Tunc conſolandi gratia dixit Dea:
Sed forma tu vincis, et magnitudine (4)*:*
Nitor ſmaragdi collo praefulget tuo,
Pictiſque plumis gemmeam caudam explicas.
Cur mihi, inquit, ſpecies (5) *ſi vincor ſono?*
Fa-

(3) *Cunctis avibus*, Ita etiam in prioribus Phaedri editionibus vulgatum eſt. Sed quum Gudius teſtatus eſſet in utroque Codice Pithoeano et Remenſi ſcriptum *cunctis auribus*; reiecta illa lectione, quam ipſe Pithoeus protulerat, haec vulgo recepta eſt, quam unam tueri idem Gudius conatus eſt. Equidem fateor *auribus* reiici non poſſe: At contra arbitror longe melius *avibus* retineri: Nam certe melius ſententiae congruit. Burmannus, quum multa adduxiſſet quibus illud firmaret, ſubdit in Comm. novo: *licet tamen haec ſpectoſa ſatis ſint, quae pro illa lectione adduci poſſint, neſcio tamen quomodo adhuc inclinet animus in* avibus. Iuvenatius vero rem conſeciſſe viſus eſt. Scribit enim: *legendum* avibus, *quod et alii viderunt. Quod ſi* auribus *retineas, tum* cunctorum *reponendum erit, quod qui teretes aures habent facile mihi aſſentientur.*

(4) Verſiculus in tertia ſede habet trochaeum, quem carminis ratio non patitur. Commode tamen legi poteſt

Sed forma vincis, atque magnitudine.

Tu opportunum plane non eſt, et Codices non raro ſuperfluum habent. Ita quidem fab. 19. huius lib. v. 8. retinebant Codices Pithoeanus et Remenſis, ſed docti unanimes expunxerunt. Et recte expunctum fuiſſe, non modo ipſe per ſe locus oſtendit, ſed etiam Codicis noſtri auctoritas, qui illud non habet. Vulgo legitur

Sed forma vincis, vincis magnitudine.

Non quidem male. Attamen niſi opinio vehementer me fallit, illa verbi repetitio non videtur ex Phaedri ſtilo.

(5) *Cur mihi, inquit, ſpecies.* Lectio vulgatior *quo mi, inquit, mutam ſpeciem.* Sed *muta ſpecies* parum placuit Criticis eruditis. Propterea Burmannus malebat legere *mutae ſpeciem*, vel *cultam ſpeciem*. Philippus edidit *tanta ſpecies*. Alii alia. Verum tamen vix dubitarem, quin nuda et ſimplex lectio noſtra magis probanda videatur. Eſt quidem vitium in metro, ſed voculae

tran-

Fatorum arbitrio partes ſunt vobis datae:
Tibi forma, vires aquilae, luſciniae melos,
Augurium corvo, laeva cornici omina,
Omneſque (6) *propriis ſunt contentae dotibus* (7).
Noli adfectare, quod tibi non eſt datum,
Deluſa (8) *ne ſpes ad querelam recidat.*

22. FAB. XIX. LIB. III. num. 120.

AESOPUS ET GARRULUS

In tanta mortalium multitudine paucos eſſe homines.

Aſopus domino, quum eſſet ſolus (1) *familia,*
Parare coenam iuſſus eſt maturius.
Ignem ergo quaerens, domos aliquot luſtravit (2),
Tandemque invenit ubi lucernam accenderet.

Tum

tranſiectione, quae leniſſima emendatio eſt, occurritur. Legi ergo poteſt,

Mihi cur ſpecies, inquit, ſi vincor ſono?

(6) *Omneſque.* Ita omnino in Codice. Burmannus tamen in Excerptis protulit *omnes quae*, quod libri editi habent; ſed hac lectione omnino noſtra prior eſt. Quamobrem ex coniectura reſtituit Heinſius, et ipſe Burmannus probavit.

(7) *Dotibus.* Editi *vocibus*, quod recipi vix poteſt. Nam non de avium *vocibus* in fabella agitur, ſed de ſingulis earum proprietatibus, neque vocabulum ad eam ſententiam eleganter uſurpari poſſe videtur. Noſtrum egregium plane eſt, illudque iam viderat ſolertiſſimus Heinſius, tum Hoogſtratanus, Bentleius, Burmannus iure probaverant.

(8) *Deluſa.* Ita ſatis clare in Codice, ut etiam reliqua. Dorvillius legit *denſa*, et in ceteris haeſit. Elementa revera fugientia ſunt, et ſtatim vix deprehenduntur.

(1) *Quum eſſet ſolus.* Vulgo *ſolus quum eſſet*. Perinde eſt.

(2) *Domos aliquot luſtravit.* Editi *aliquot luſtravit domos*. Recte quidem; ſecus metrum non ſervatur.

Tum circumeunti (3) *fuerat quod iter longius,*
Effecit brevius; namque recta per forum
Coepit redire. (4) *Quidam e turba garrulus:*
Aesope, medio sole, quid cum lumine?
Hominem, inquit, quaero, et abit (5) *festinans domum.*
Hoc si molestus ille ad animum retulit,
Sensit profecto se hominem non visum seni (6).

23. FAB. XIX. LIB. IV. num. 33.

VULPES ET DRACO. (*)

In avarum.

Abiturus illuc, quo priores abierunt,
Quid mente coeca miserum *torques spiritum?*
Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,
Qui ture Superos, ipsum te fraudas cibo;
Qui tristis audis musicum citharae sonum,
Quem tibiarum macerat iucunditas;

(3) *Circumeunti*. Multi ex libris editis *circueunti*. Non male, sed illud potius a Scriptoribus usurpatur.

(4) Hîc vulgo est *et*; sed, nisi fallor, ex Phaedri stilo superfluum videtur.

(5) *Abit*. Editi *abiit*, quod tenendum est metri ergo.

(6) In libris editis non isto versiculo, sed altero qui hunc excipit fabella clauditur: huiusmodi est

Intempestive qui occupato adluserit.

Probatum puto, sed non videtur facere desiderium sui.

(*) Libri omnes editi in duas partes distractam, necnon inversam fabellam exhibent. Haud difficile tamen perspicitur eam esse genuinam lectionem, quam Codex noster retinet. De hac re nonnulla diximus in Dissert. Prael. §. XI.

Opſoniorum pretia cui gemitus (1) *exprimunt,*
Qui, dum quadrante augeas patrimonia (2),
Coelum fatigas ſordido periurio (3):

Qui

(1) *Gemitus.* Editi *gemitum.* Illud gravius ad ſententiam fuiſſet, ſed alterum retinendum eſt ob leges carminis.

(2) Ut hic verſiculus recte ad metrum procederet, omittenda eſſet ſynaloephe in tertia ſede. Id, ſi fieret, neque damnandum eſſet, neque inſolens. Nam et praeſtantiſſimi veterum Poetarum non raro omiſerunt. Vel unus Virgilius teſtis eſt plane locuples in Ecloga II. v. 65. III. v. 6. VI. v. 44. et 53. VII. v. 53. VIII. v. 108. in Georg. I. v. 221. 281. 437. IV. v. 461. in Aeneid. I. v. 409. IV. v. 667. VI. v. 502. et aliis quoque in locis. Nihiloſecius, quum vix ullum exemplum huiuſmodi ab ipſo Phaedro peti poſſit, ego potius loco *augeas* legerem *adaugeas*. Immutatio levis eſt, atque eam, ſi elementa comparentur, quodammodo probat lectio vulgata. Verbum porro non abs re maiorem vim rebus addit. Ceterum verſiculus egregius eſt, et quem facile praeferres vulgato, ſcilicet

Qui dum quadrantes adgeras patrimonio.

Et re quidem vera, quum de ſordidiſſima plane avaritia hoc loco agatur, ea longe melius in noſtro pingitur, et gravius exagitatur. Propterea ad maiorem, ut par eſt, invidiam excitandam aptius *patrimonia* uſurpatur, quam *patrimonio*, ſatius *quadrante*, quam *quadrantes*. Codicis porro lectio vulgarem quemdam loquendi modum praeſefert, et adagio ſimilem, ideoque quum ad rem faciat, eo etiam ex capite probatur. Similia profecto de Avaro habuerunt et alii Poetae. Horatius lib. II. Sermon. 3. v. 92.

. . . . . *ut ſi*
Forte minus locuples una quadrante periret,
Ipſe videretur ſibi nequior . .

Petronius Arbiter in Satura c. 43. *Paratus*, ait, *fuit quadrantem de ſtercore mordicus tollere*. Perſius Satyr. V. v. 111.

In luto fixum poſſit tranſcendere nummum.

Lucilius Satyr. XXVII. apud Nonium. c. 2. voc. *mordicus*. Si *mordicus petere aurum de flamma expediat, e coeno cibum.*

(3) Haec ipſa eſt vulgata verſiculi lectio, quae propterea Codicis noſtri auctoritate gravius firmatur. Id autem ea potiſſimum de cauſſa obſervandum eſt, quia illam nonnulli Critici doctiſſimi non probarunt. Burmannus quidem tum in veteri, tum in novo Comment. multa in eam movit, et niſi plane reſpuit, pronunti vit tamen ſibi in eo loco nondum ſatisfeciſſe. Nicolaus

Qui circumcidis omnem impenſam funeri (4),
Libitina ne quid de tuo faciat lucri (5),
Fabellae noſtrae parum (6) *aures accommoda* (7).

colaus Heinſius longius etiam progreſſus fuerat. Nam legere malebat

Cellam fatigas ſordida penuria.

vel potius

Alvum fatigas ſordida penuria.

Quae, ſi quis ſerio perpendet, viro longe doctiſſimo indigna inveniet. Sed quid eſt in verſiculo quod tantum negotium faceſſerit huiuſmodi Interpretibus ſolertiſſimis? Alii noverint; mihi quidem in lectione vulgata res rectiſſime procedere viſa eſt. Ibi enim *fatigare*, non eſt *exercere*, *ſollicitare*, *commovere* in poenam et vindictam; nam quamvis huiuſmodi etiam ſit poteſtas vocabuli, eam tamen locus non poſtulat: Verum potius eſt *onerare*, *pondere premere*, *multitudine et gravitate obruere*. Ad quam ſententiam Horatius IV. Carm. Ode 14. v. 18. ſcripſit

Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis.

Valerius Flaccus Argon. III. v. 348.

. . . . *tua me, Grandaeva, fatigant*
Conſilia, et monitis cedo minor . . . .

Ovidius V. Metam. v. 485.

. . . . *lolium tribulique fatigant*
Triticeas meſſes.

Tacitus Annal. XV. c. 71. Et *dextram oſculis fatigare*. Senſus ergo verſiculi eſſet. *Tu, avare, ob ſordidiſſimum lucellum tot et tanta periuria in Coelum ingeris, ut multitudine et gravitate veluti obruas ac opprimas.* Neque obſtat *periurio* non *periurus* ſcriptum fuiſſe. Id enim palam eſt ex more Poetarum fieri. Valerius Flaccus VIII. v. 386. *fatigare quaeſtu*. VII. v. 311. *gemitu et moeſta voce*. Juvenalis porro de ipſo avaro ad ſententiam ſcribit Satyr. XIV. v. 217.

. . . *vendet periuria ſummâ*
Exiguâ.

(4) *Funeri*. Editi *funeris*. Illud elegantius, atque ut Phaedrus loqui amat. Burmannus in Excerptis lectionem probavit.

(5) *Lucri*. Vulgo *lucrum*. Noſtrum potius, et iterum ex Phaedri ſtilo. Id Burmannus in Comm. novo ex coniectura pluribus probavit, atque in Excerptis Codicis auctoritate firmavit: quamobrem iure lectionem receperunt Philippus, et Desbillonius.

(6) *Parum*. Legerem *paullum*. Secus enim in tertia ſede offendetur trochaeus. *Paullum* porro frequentius atque elegantius de tempore uſurpatur.

(7) Hic verſiculus totus deſideratur in libris editis. Sed ſpectato ordine et iunctura fabellae

Vulpes cubile fodiens, dum terram eruit;
Agitque pluris (8) *altius cuniculos,*
Pervenit ad draconis ſpeluncam intimam (9);
Cuſtodiebat qui theſauros abditos.
Hunc ſimul adſpexit; oro, ut imprudentiae
Des primum veniam, deinde ſi pulchre vides,
Quam non conveniens aurum ſit vitae meae,
Reſpondeas clementer: quem fructum rapis (10)
Hoc ex labore, quodve tantum eſt praemium,
Ut careas ſomno, et aevum in tenebris *exigas?*
Nullum, inquit, ille: verum hoc a ſummo mihi
Jove attributum eſt. Ergo nec ſumis tibi,
Nec ulli donas quidquam? Sic Fatis placet:
Nolo iraſcaris, libere ſi dixero:
Dîs eſt iratis natus, qui eſt ſimilis tibi.

bellae non opportunus modo eſt, verum etiam ad ſuſtam ſententiam, et nexum rerum plane neceſſarius. Neque fortaſſe alia de cauſſa in libris excidit, vel receptus non eſt, quod ſabellâ inverſâ et diviſâ non amplius facere ad rem viſus fuerit.

(8) *Pluris*. Vulgo *plures*. V. fab. 21. not. 3.

(9) *Intimam*. Editi *ultimam*. Noſtrum praeſtat, quod iam Bentleius ex coniectura acute viderat, ideoque iure Burmannus probavit in Excerptis.

(10) *Rapis*. Editi *capis*, et *rectius*.

24. FAB. XX. LIB. IV. num. 91.

AUCTOR. (*)

Multum ſemper invidiae inter homines eſſe.

Heu quantus eſt ſemper mortalium livor (1)!
Sunt qui quidquid putant (2) dignum memoria (3),
Aeſopi dicunt (4), ſi (5) quid minus adriſerit,
A me contendunt (6) fictum quovis pignore.

25.

(*) Haec fabella non levem habet a vulgata diſcrepantiam. Ipſa quidem ſententia eſt; ſed quaedam ratio et ſyntaxis verborum ſententiam quodammodo immutat. Nonnulla ea de re diximus Diſſert. Prael. §. IX.

(1) Pro uno hoc verſiculo duos habent libri editi ac diverſos, nempe

Quid iudicare cogitet livor modo,
Licet diſſimulet, pulchre tamen intelligo.

(2) *Sunt qui quiquid putant.* Editi *quidquid putabit eſſe.* In noſtro autem legerem *putarint.* Secus verſiculi metrum non recte conſtabit. Praeterea verbum *arriſerit*, quod paullo poſt ſequitur eam ſyntaxin innuit.

(3) *Dignum memoria.* Vulgo *dignum memoriae.* Dubitari nequit, quin huiuſmodi loquendi modus rectus ſit, et propterea non iniuria eum tueri conatos eſſe Burmannum in Comm. novo, Heinſium ad Ovidium Triſt. IV. Eleg. 3. v. 57. Bangium Obſervat. Philol. lib. II. alioſque plures; ſed contra videtur potiori iure probandum et retinendum noſtrum, non modo quia frequentius a Scriptoribus uſurpatur, ſed etiam quia eſt ex Phaedri ſtilo, qui praeter alios loquendi modos, lib. V. fab. 3. v. 13. ſcribit *dignum poenâ*, in Prolog. eiuſd. lib. v. 19. plane *dignum longâ memoriâ*. Quamobrem egregie Iuvenatius noſter ad hunc locum: *Non male quidem*, ait, *latine ſcriptum eſt* memoriae; *ſed non dubitarim* memoriâ *legere*, *Phaedro ipſo non modo non invito, ſed maxime, ſi ſatis eius genus calleo, approbante.*

(4) *Dicunt.* Editi *dicet.*

(5) *Si* quemadmodum et vulgo legitur. Iuvenatius tamen mallet *ſin*. *Puto*, ait, *a Phaedro fuiſſe ſin, quod η διανοια και ενεργεια poſtularet ab ipſo videbantur.*

(6) *Contendunt.* Editi *contendet.*

Quos (7) *volo refelli iam nunc reſponſo meo:*
Sive hoc ineptum, ſive laudandum eſt opus,
Invenit ille, noſtra perfecit manus.

25. FAB. XXI. LIB. IV. num. 4.

DE SIMONIDE.

Simonides, qui ſcripſit egregium melos,
Quo paupertatem ſuſtineret facilius,
Circumire coepit urbes Aſiae *nobiles,*
Mercede acceptâ laudem Victorum canens.
Hoc genere quaeſtus poſtquam locuples factus eſt,
Redire (1) *in patriam voluit* curſu pelagio (2).
Adſcendit navem, quam tempeſtas horrida,
Simul (3) *vetuſtas medio diſſolvit mari.*
Hi zonas, illi res pretioſas colligunt,
Subſidium vitae: Quidam curioſior,
Simonide, inquit, tu nihil ex iſtis ſumis? (4)
Me-

(7) *Quos*. Editi *quem*, quod antea ſcriptum fuerat in Codice.

(1) *Redire*. Vulgo *venire*. Noſtrum rectius, et ex verborum proprietate.

(2) Hunc verſiculum in libris editis excipit alius huiuſmodi

Erat enim natus, ut aiunt, in Cea Inſula.

(3) Simul. Editi *ſimul et*. Sed rem iam obſervavimus Fab. I. v. 12.

(4) Hic verſiculus ſic vulgo legitur:

Simonide, tu ex opibus nil ſumis tuis?

Quod recte quidem retineri poteſt. Propterea tamen noſtrum non omnino reiicerem. Etenim, niſi fallit opinio, quaedam fragmenta praeſeſert probatae lectionis. Auctor hoc loco non videtur loqui de eo temporis articulo, quo imminet quidem naufragium, ſed cuncta fere ſupellectilia ſervan-

Mecum, inquit, mea ſunt cuncta: tum pauci enatant;
Nam (5) *plures onere degravati perierunt* (6).
Praedones adſunt, rapiunt quod quiſque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomene (7) *prope*
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hîc literarum quidam ſtudio deditus,
Simonidis qui ſaepe verſus legerat,

vantur, verum de naufragio, quod iam factum fuerat. Nam meminit navis iam tempeſtate fractae et diſſolutae, quod ita exploratum fuit Bentleio, ut legeret in fabella *ut diſſolvit*: tum nauticos inducit colligentes res ſparſas et diſſipatas; ſtatim ait paucos enataſſe, et fuiſſe porro adempta, quae *quiſque extulit*, quod verbum iis, quae a mari extrahebantur recte congruit. Quamobrem videtur zonas et res pretioſas a nauticis collectas, non eas fuiſſe, quas quiſque ante naufragium poſſidebat, ſed quas ſors offerebat, ſive ſuas ſive aliorum, quum omnia mixta eſſent et confuſa. Id etiam innuit illud *rapuiſtis*, quod ſequitur, nam aliena rapiuntur non proprtia. Bentleius acute rem vidit, ſed de more vocem potius corrumpere maluit, quam iuſtam ſententiam inquirere. Schefferus ad hanc fab. Iuvenatius, cuius verba paullo poſt adferemus, et alii *rapere* putant eſſe colligere cum feſtinatione; id quidem verum, ſed maiorem plane vim habet verbum, neque Simonides ea exprobraſſet miſeris naufragis, ſi ſinguli ſua pretioſiora, vitae ſubſidium, ſecum tuliſſent. Si haec igitur ita ſunt, non putarem auctorem loqui de ſingularibus Simonidis opibus, ideoque ſatius eſſe legi in verſiculo *ex iſtis*, zonis nempe et ceteris rebus pretioſis; quod quidem ea etiam de cauſſa tenerem, quod in naufragio non omne opum genus, ſed illae unae ſervari poſſe videntur. Quomodo ergo verſiculum legemus, ſi corruptus eſt? Si daretur coniectioni locus ex utraque lectione colligerem

Simonide, tu ex iſtis nil ſumis tibi?

(5) *Nam*. Vulgo *quia*.

(6) *Perierunt*. Ita quidem multi ex libris editis. Ceteri habent *perierant*. Sed Burmannus in Comm. novo illud preferendum eſſe pluribus oſtendit.

(7) *Clazomene*. Hoc retinent veteres Editiones dubio procul ex Codicum fide, et nonnullae etiam ex recentioribus. Aliae habent *Clazomenae*, quod gravior Geographorum auctoritas tuetur.

Eratque abſentis admirator maximus;
Sermone ipſo (8) *cognitum cupidiſſime*
Ad ſe receptum (9) *veſte, nummis, familia*
Hominem exornavit (10). *Ceteri tabulam ſuam*
Portant rogantes victum; quos caſu obvios (11)
Simonides ut vidit: dixi, inquit, mea
Mecum eſſe cuncta; vos quod rapuiſtis (12), *periit* (13).

(8) *Sermone ipſo*. Editi *ſermone ab ipſo*, quod retinendum eſt etiam gratia carminis.

(9) *Receptum*. Non male, nam ſyntaxis recta eſt. Sed propius, ni fallor, ad Phaedri ſtilum vulgatum *recepit*.

(10) *Exornavit*, quae lectio vulgata eſt, ideoque auctoritate Codicis noſtri gravius firmatur. Quod propterea obſervamus, quia Bentleius, Iuvenatius ad hunc locum, et alii legere maluiſſent *auxit*, *inſtruxit*, vel ſimilia. Sed doctorum virorum pace, nil eſt in lectione vulgata quod doleat, ſive elegantiam, ſive uſum ſpectes: Terentius Eunuch. II. 4. v. 16. *exornatus varia veſte*. Curtius lib. VIII. c. 13. *Veſte regia exornare*. Plinius lib. XXX. c. 1. *Oſtanes comitatu eius exornatus*, et tandem Cicero propius in Caton. II. *Tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus*.

(11) *Obvios*. Vulgo *obvius*. Noſtrum praeſtat, ideoque genuinum videtur. Salmaſius, Bentleius, Iuvenatius graviter probarunt.

(12) *Rapuiſtis*, quod vulgatam lectionem firmat. Bentleius, ut innuimus, in *habuiſtis* immutavit, ſed haec in eum repoſuit Iuvenatius. *Elegantiſſime ſcriptum eſt* rapuiſtis, *feſtinantes ſcilicet pro ſe quiſque in illo naufragii articulo ſibi conſulere, ſecumque ut quaſque res cariſſimas habebant auferre. Cicero III. de Oratore.*

(Ennius) vive, Ulyxes,
dum licet,
Oculis poſtremum lumen radiatum rape.

Non dixit cape *non* pete, *haberet enim moram ſperantis diutius eſſe ſeſe victurum; ſed* rape, *hoc verbum eſt ad id aptatum; quod ante dixerat* dum licet. *Haec Bentleio ſatis.*

(13) *Periit*. Editi *perît*. Perinde eſt, duo enim *i* per craſin in unum abeunt, ſed vulgatum rectius retinetur.

26. FAB. XXIII. LIB. IV. num. 29.

FORMICA ET MUSCA.

Neminem debere se exornare falsis laudibus.

Formica et Musca contendebant acriter,
Quae pluris esset. Musca sic coepit prior:
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur exta praegusto Deûm,
Moror inter aras, templa perlustro omnia (1):
In capite regis sedeo, quum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula:
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contigit (2), *rustica?*
Est glorioſus plane (3) *convictus Deûm,*
Sed illi qui invitatur, non qui invisus est.
Reges commemoras, et matronarum oscula;
Ego, granum in hiemem quum studioſe congero,
Te

(1) *Templa perlustro omnia.* Haec verba quum in Codice nostro defeciſſent hac interpunctione mutuari sumus ex vulgatis Phaedri libris. Schefferus et Burmannus interpungunt *templa*, *perlustro omnia*, atque ita saepe eis auctoribus editum est. Mihi verus interpunctio praestare visa est; nam de tebus sacris loquitur Auctor, atque aris et extis Deûm templa omnia recte cohaerent. Contra, si attendatur, ex novâ vel ambigua lectio exsurgit vel parum elegans. Quid est moror inter templa, vel perlustro templa, perlustro omnia, quasi clauderet nescio quam longam partium enumerationem?

(2) *Contigit.* Editi *contingit*, quod praeferendum est ob metrum potissimum. In nostro, ut hoc constaret, scribendum esset *contigit tibi.*

(3) *Plane* Editi *sane*. Illud maiorem vim habet.

Te circa murum paſci video (4) *ſtercore.*
Aras frequentas, nempe abieris (5) *quo venis:*
Nihil laboras, ideoque nihil habes (6).
Super etiam (7) *iactas tegere quod debet pudor* (8):
Aeſta-

(4) *Paſci video*. Editi *video paſci*.

(5) *Abieris*. Mendum eſt. Nam verbum nullam hic ſententiam habere poteſt. Editi habent *abigeris*, et rectiſſime.

(6) Huic verſiculo deeſt ſyllaba ad iuſtum metrum. Occurretur tamen facillime, ſi levi ſane immutatione ſcribatur:

Nihil laboras, et ideo tu nil habes.

Vulgatus autem huiusmodi eſt

Nihil laboras, ideo quum opus eſt nil habes.

Si attendatur, noſter praeſtat, quum longe aptiorem et argutiorem habeat ſententiam.

(7) *Super etiam*. Sic quoque uterque Codex Pithoeanus et Remenſis, Gudio teſte. Vulgo in libris ediris eſt *ſuperba*, quod ipſe Pithoeus primus dedit. Sed Gudius, Burmannus, aliique veterem et veram multis probarunt, quam tandem recepit Desbillonius, auctoritate noſtri quoque Codicis motus.

(8) Hunc verſiculum et quinque ſuperiores, eo ipſo ordine, quo in Perottino MS. exhibentur, ediderunt Clariſſimi Viri Petrus Pirhoeus, Cunradus Rittershuſius, Nicolaus Rigaltius ſecunda et tertia vice, Tanaquillus Faber, Ioannes Schefferus, Ludovicus Praschius, Ioannes Laurentius, David Hoogſtratanus, et Petrus Burmannus. Richardus Bentleius, ne de more, ut ita dicam, diſcederet nonnulla immutavit; Sed Rigaltius in prima editione, Iſaacus Neveletus, Gabriel Brotierius, et Ioſephus Desbillonius nova plane ratione eos diſpoſuere: ſcilicet hoc pacto: 1. Aras frequentas etc. 2. Reges commemoras etc. 3 Super etiam iactas etc. 4. Nihil laboras etc. 5. Ego granum etc. 6. Te circa murum etc. Quin Desbillonius pluribus ad hunc fabellae locum contendit hunc revera genuinum eſſe et probatum ordinem verſiculorum. Et primum Pithoeani et Remenſis Codicis fidem appellat, affirmans contra eorum auctoritatem a Pithoeo cum primis, a ceteris porro, vero ordine turbato, vulgatum confictum fuiſſe. Sed docti hominis pace tam certa provocatio ad MSS. temeraria eſt, iudiciumque in Viros clariſſimos praeceps. Etenim ipſe Desbillonius, ſe fatente in Diſput. III. ad Phaed. praefixâ neutrum Codicum viderat, ſed tantum quaedam excerpta: neque ſaltem auctoritatem adducit

Aeſtate me laceſſis, cur bruma ſiles (9)?
Mori contractam quum te cogunt frigora,
Me

ducit eorum qui viderant, et verſaverant. Quamobrem etiamſi novus ordo ſuus revera Codicum fide niteretur, tantâ fiduciâ minime affirmari poterat. Sed quod maius eſt, multa adſunt et gravia argumenta quibus confici videtur non novum, ſed noſtrum et vulgatum ordinem Codices exhibuiſſe. Nam quomodo facile credi poteſt Petrum Pithoeum egregium virum, et alios nonnullos doctos homines, qui MSS verſarunt, immutationem tam inſignem, et nullâ contra, quae appareret, ratione ſuffultam, omnes inducere in fabellam voluiſſe, neque aliquem inventum, qui lectorem ſaltem de ea re monuiſſet? Praeterea Nicolaus Rigaltius quum vulgatum ordinem immutavit auctoritatem Codicum nullam habuit. Tum enim (anno 1599.) quemadmodum ex praefatione ad lectorem patet, nullum eorum viderat, ſi Danielianas Schedulas excipias, quae nil fuerunt ad rem, quum ad fab. XXI. lib. 1. deficerent, Contra vero quum illi noſtro deinceps ſemel et iterum haeſit, tum (an. 1617. 1630.) ut ad Auguſtum Thuanum ſcribit iam utrosque verſaverat, perlegerat, et contulerat; ideoque ſatis clare oſtendit eum ordinem Codicum fide niti. Neque porro de his verbum addidit Gabriel Brotierius, ut ipſe Desbillonius innuit; atqui ille facere recte poterat, et debuiſſe etiam videtur, quum a vulgatiſſima lectione recederet. Tandem Marquardus Gudius, qui longam et diligentem operam illis MSS. dederat ſeptem variantes lectiones in hac fabella non ad novum, ſed ad vulgatum ordinem profert, et quum ipſe quoque tranſponendos eſſe verſiculos cenſuiſſet coniecturâ tantum propoſuit rem, neque ullo pacto ad Codices provocavit, quod omnino feciſſet, ſi illi ſaltem innuiſſent. Neque praetereundum eſt Anonymum Fabulatorem a Nilantio editum noſtrum non novum ordinem ſervare; qui profecto non modo plerumque per ipſa Phaedri veſtigia incedit, ſed hac in re, ſi ſerio attendatur, neque diſcedere ab eis potuiſſe videtur.

Pergit interea Desbillonius, et ait: eo etiam novam verſiculorum diſpoſitionem probari, quod iſtâ tantum iuſtus rebus ordo, et perſpicuitas fabellae reſtituitur; tum aequum eſſe formicam refutare obiecta muſcae, ut ea exceperat. Sed videamus modo an haec revera huiuſmodi ſint ut Interpres iactat. Hoc alterum leviſſimum eſt. Nam, quum obiecta alicuius refellimus, ille egregius ordo eſt, qui melius pro-

poſito

Me copioſa recipit incolumem *domus.*
Satis profecto retudi (10) *ſuperbiam* (11).

27.

poſito noſtro reſpondet. Quin, perſonis rebuſque ſpectatis, ſatis prudenter nonnumquam et ſolerter inducitur quaedam confuſio et perturbatio, quam pulchram propterea vocat politus et elegans Poeta Gallus Nicolaus Boileau in ſua Art. Poetic. Hic autem Formica loquitur, non Dialecticus. Primum vero quod gravius urgetur, re mature perpenſâ, falſum, vel ſaltem incertum et ambiguum deprehenditur. Nam qui ordo, quae perſpicuitas inducta eſt connexis invicem his duobus verſiculis, nempe

Reges commemoras, et matronarum oſcula,
Super etiam iactas tegere quod debet pudor?

Si hoc loco tria obiecta non duo continentur, ut illud *ſuper etiam* omnino oſtendit, priora nullo pacto refelluntur. Quin neque tertium novimus. Nam quod eſt illud pudore tegendum, ſi ad prima non refertur? Et ſi refertur, eritne huiuſmodi ſedere in capite Regis? Contra vero in vulgata lectione recte omnino videtur ſententia procedere. Hanc eſſe puto: Tu commemoras mihi capita regum et oſcula matronarum, ſed memento, quod quum ego grana in hiemem congero non video te circa reges et matronas, ſed circa immundos muros et foeda ſtercora verſari. Inquient: illud ergo

Super etiam iactas tegere quod debet pudor.

ad *matronarum oſcula* non pertinet? Equidem fateor et Joannem Laurentium, Joannem Schefferum, Davidem Hoogſtratanum, alioſque magni nominis Interpretes, qui noſtrum ordinem tuebantur, ad ea retuliſſe; ſed quanta ratione neſcio. Hic enim *oſcula matronarum* longe aptius ad nobilitatem et dignitatem, quam ad libidinem referuntur; ideo Auctor matronas regibus addidit. Praeterea *pudet* non ad obſcoena tantum uſurpatur, ſed ad omnia facinora quae ingenuum dedeceant. Exempla paſſim obvia ſunt. Quapropter, quum muſca dixiſſet:

Laboro nihil, atque optimis rebus fruor,

Et primam partem formica refutaſſet eo reſponſu:

Nihil laboras, et ideo tu nil habes

Quod reſtabat his verbis confeciſſe videtur

Super etiam iactas tegere quod debet pudor?

Nam quum aequum eſſet quemque vivere ex labore atque induſtria ſua, et turpe contra rapinâ et furto otioſum ventrem implere, quin turpius ea glorioſè iactare, id plane erat quod pudore ſaltem tegendum muſcae fuerat.

27. FAB. XXIV. LIB. IV. num. 118.

SIMONIDES A DIIS SERVATUS.

Quantum momenti habeat Pietas et Religio divina.

Simonides ille ſupra (1) *de quo retuli, Victori* (2) *laudes* (3) *cuidam Pyctae ut ſcriberet, Certo*

(9) *Cur brumâ ſiles?* Editi *quum bruma eſt ſiles*. Noſtrum praeſtat, et maiorem habet venuſtatem, quod etiam Burmannus obſervavit in Excerptis.

(10) *Retudi*. Ita quidem in Codice, non omnino perſpicue ut alia, eo tamen pacto, ut tuto teneri poſſit. Adnotavimus, quia Dorvillius in ea voce haeſit, quemadmodum refert Burmannus loc. cit.

(11) Hoc verſiculo claditur fabella etiam in libris editis. Burmannus tamen in Comm. novo autumat eum ad epimythium ſpectare, quod iſti exhibent. Ait enim non videri eiuſmodi verba formicae convenire animali quieto et manſueto, et propterea legendum eſſe

Satis profecto retundit ſuperbiam &c.

Sed quid hoc cauſſae eſt ut ab auctoritate codicum, atque a iuſta ſententia recedamus? Formica irata, et quidem ob magnas contumelias, modum potius ſervat illis verbis. Quin iam Auctor initio dixerat *contendebant acriter*. Certe Perotus illum reſecaſſet ſi ad epimythium fabellae ſpectare potuiſſet.

(1) *Ille ſupra*. Editi *idem ille*. Noſtrum retineri poteſt, quum *ſupra* ancipitem primam habeat, ſed vulgatum probatum putarem; nam in promythio fabellae, quod de more hic non apparet, eſt *ſuperius*.

(2) *Victori*. Vulgo *victoris*. Illud elegantius, et rectius quoque. Iſtâ enîm lectione duae perſonae videri poſſunt victor et pycta, quod falſum eſt. Ideo ex coniectura noſtrum repoſuerant Gronovius et Scheffe-rus, quin Burmannus pluribus oſtendit in Comm. novo, quanta ratione id factum fuiſſet.

(3) *Laudes*. Editi *laudem*, et recte. Nam hîc *laus* eſt *laudatio*, ſive carmen, quod Graeci *ἐγκωμιαστικον*, Latini *laudativum* dicerent. Odae Pindari exempla ſuppeditant.

Certo conduxit (4) *pretio: ſecretum petit.*
Exigua quum frenaret materia impetum,
Uſus Poetae more et licentia eſt (5),
Atque interpoſuit gemina Ledae Sidera,
Auctores aptae (6) *ſimilis referens gloriae.*
Opus adprobavit, ſed mercedis tertiam

Ac-

(4) *Conduxit*, quod firmat lectionem reliquorum Codicum, et accuratiorum editionum. Nam non pauci Critici inventi ſunt, qui poteſtatem verbi non aſſecuti contenderunt legendum eſſe *condixit*, eumque errorem in multis libris produxerunt.

(5) Verſiculus ad leges carminis non procedit. Sed ad eas reſtituetur, ſi levi verborum tranſpoſitione ſcribatur

Uſus Poetae more eſt, et licentiâ.

Hoc fecit iam antea Burmannus in Excerptis, et Philippus ceteris vulgatis praeferens, ſic emendatum edidit. Sed ille verſiculum quodammodo corruptum autumans legere malebat *uſus Poeta etc.* Sed, niſi fallor *Poetae* retinendum eſt. Nam neque mos eſſe poterat Poetis inducendi Dioſcuros in Pyctarum laudem, neque, ſi fuiſſet, licentiam dici par erat. Praeterea Gudius, aliique teſtantur utrumque Codicem Pithoeanum et Remenſem *Poetae* non *Poeta* exhibuiſſe. Neque grave eſt quod Burmannus urget, oportuiſſe nempe ſcribi *Poetarum*. Nemo enim neſcit, quod *Poeta*, *Orator*, *Scriptor* aliaque id genus apud quoſque probatiſſimos Auctores non raro ſumi pro toto genere Poetarum, Oratorum, Scriptorum etc. Quamobrem reiicienda etiam videtur lectio, quam Rittershuſius, Bentleius et Desbillonius vulgarunt, nempe

Uſus Poeta moris eſt licentiâ.

Omiſſis autem aliis, quos Schefferus, Heinſius, Walchius, et iterum Burmannus prodiderunt, receptior haec eſt

Uſus Poetae, ut moris eſt, licentia.

Quae propius ad noſtram accedit.

(6) *Auctores aptae*. Legerem *auctores apte*, quod Burmannus in Excerptis vidit et probavit. Nam ſi *aptae* ſpectat ad *ſimilis gloriae* tum vel nullam, vel parum opportunam habet ſententiam, ſed ſi legitur *apte referens*, tum egregia plane exſurgit et recta. Ideoque non dubitarem hanc lectionem vulgatae praeferre quae habet *auctoritatem ſimilis etc.*

Accepit partem; quum reliquum (7) *poſceret, Illi, inquit, reddent quorum ſunt partes duae* (8). *Verum, ut ſine ira te dimiſſum ſentiant* (9), *Ad*

(7) *Reliquum*. Codices Pithoeanus et Remenſis habuerunt *reliquam*. Ex Criticis alii reponebant *reliqua*; alii *reliquas*, longe plures in noſtrum conſenſerunt, quod probatum revera videtur.

(8) *Partes duae*. Codices Pithoeanus et Remenſis habuerunt *laudes duae*, doctique Critici Joannes Schefferus, Marquardus Gudius, David Hoogſtratanus, Petrus Burmannus, aliique non pauci legere maluerunt *laudis duae*. Desbillonius autem lectionem Codicum tuendam ſuſcepit, et hanc ut *inelegantem*, *duram* et *parum latinam* arguit, quin obſcuram etiam, *quum vox* partem *tantummodo praeceſſerit, et altius etiam illa repetenda ſit.* Sed haec Juvenatius noſter in eum repoſuit. *Cur inelegans et parum latina? Non doces paullo infra laudem hîc* laudationem *ſive* εγκωμιον, *ut et gloſſae veteres exponunt, valere? At dicimus bene latine duas partes laudationis, carminis, poematis etc. Praeceſſit etiam vox* tertiam, *quae ambae voces* (nempe tertiam partem) *quum ſint* των προς τι *ſuſpendunt orationem, et lectionem expectare cogunt, dum cetera quibus reſpondent reddantur. Ita vox* partem *non altius, ut Desbillonius autumat, ſed e propinquo potius repetitur*. Quid ergo tenebimus? Lectio MS. Pithoeani et Remenſis probari non poſſe videtur, quum hic de una laude ſive laudatorio carmine agatur non de pluribus, noſtra reiici nequit, quum ad *partes duae* non difficile ſubaudiatur *laudis*. Quin Bentleius ex coniectura recepit, et quaſi a Burmanno reſtitutam ceteris praetulit. Sed ego potius a reliqua *laudis duae* non recederem. Nam longe facilius ſubauditur *partes*, non modo quia vox ſive expreſſe ſive tacite pluries in ſuperioribus invenitur, ſed etiam quia ex latinae linguae ingenio non raro eleganter reticetur. Cicero I. Epiſtol. ad Attic. 14. *Amoris tibi primas defero*. De natur. Deor. lib. V. *Ad quem Epicurei primas deferebant*. De claris Orator. n. 93. *Primas in cauſſis agebat Hortenſius*, et alia penes eumdem Ciceronem, et Scriptores ceteros.

(9) Sic quidem verſiculum exhibet Codex noſter. In Excerptis autem Burmanni huiuſmodi eſt

Verum ut ſine irate demiſſum te ſentiant.

Quia ſcilicet Dorvillius rem non bene perſpexiſſet. Ille enim verſiculum coniecturâ ad vetam lectionem reſtituit. In libris autem editis varie legi-

tur,

Ad coenam mecum veni (10), *cognatos volo*
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis, et dolens iniuriâ,
Ne male dimiſſam (11) *gratiam corrumperet,*
Pro-

tur; et locum multis modis tentarunt Rittershuſius, Scheſſerus, Heinſius, Burmannus, ceterique Interpretes. Lectio receptior haec eſt

Verum ut ne irate dimiſſum te ſentiam.

Noſtra praeſtat. Burmannus qui eam ut ceteras omnes probe noverat, et expenderat ſic in Excerptis: *quam certe lectionem* (noſtram nempe) *meae etiam coniecturae nunc praeferre non dubitem*

(10) *Ad coenam mecum veni.* Editi *ad coenam mihi promitte.* Hoc elegantius, atque ob metrum et ſententiam rectius quoque.

(11) *Dimiſſam.* Ita etiam Codex Pithoeanus et Remenſis, necnon priores Phaedri editiones. Sed lectio non placuit; ideoque Interpretes in diverſa abierunt. Heinſius, Gudius, Burmannus repoſuerunt *dimiſſus*, Gronovius *commiſſam*; Burmannus iterum *diviſam*. Franciſcus Hare totum verſiculum immutans ſcripſit:

Ne male dimiſſus ſe aegre ferre oſtenderet,

vel potius

Negando, et initam gratiam corrumperet.

Ex his autem coniectionibus nulla probata plane, et recepta fuit. Jure; nam, ſi attendatur, neque perſpicuam ſententiam habent neque rei congruentem. Fateor locum ſat difficilem eſſe tentatu, verum tamen quum Codex noſter paullo ſuperius nova lectione praeluxiſſet, non dubitarem affirmare veroſimiliorem ceteris videri acutam ipſius Gudii coniectionem, qua putabat non *dimiſſam*, ſed *Dîs miſſam* ſcribendum eſſe. Huiuſmodi enim lectio non modo quam proxime accedit ad illam quam Codices exhibent, ſed videtur etiam rectam et opportunam ſententiam praeferre, quae eſſet: *Simonides ne corrumperet gratiam Dioſcuris miſſam promiſit ad coenam.* Commode, ni fallor. Nam *corrumpere* hîc eſt *vitiare*, *depravare*. *Gratia* eſt quidquid gratum facit et benevolum, unde etiam Diis aliqua *gratia* fieri poteſt. Cicero de Natur. Deor. I. cap. ult. *Deinde ſi maxime talis eſt Deus ut nullâ gratiâ, nullâ hominum charitate tenetur. Miſſa* eſt *tributa relata*, et quaſi *inſcripta* ac *nuncupata*. Praeterea Pycta non ironice, ut parum acute interpretes autumant, ſed ſerio atque ex animi ſententia Simonidi dixit, Dioſcuros redditu-

Promiſit; redit hora dicta; recubuit.
Splendebat hilare populis (12) *convivium* (13).
Repente duo quum iuvenes ſparſi pulvere,
Sudore multo diffluentes, corpore (14)

e *Huma-*

dituros eſſe ei reliquas mercedis partes; etenim non modo profeſſus eſt habere eum in numero cognatorum ſuorum, ſed etiam ea praeſertim de cauſſa ad coenam invitavit, ne ſcilicet Dii ſentirent eorum varem male abs ſe habitum, ideoque perniciem ſibi molirentur. Quamobrem, ex Auctoris ſententiâ revera Simonides, ne laudis gratia tota periret reliquas partes Dioſcuris tribuit; quod quidem probat etiam eventus rei; nam nullo pacto Simonides ſervatus fuiſſet, ni Dii laudem excepiſſent, et ipſe propterea ex animo non dimiſiſſet. Tandem Simonides ſi coenam Pyctae reſpuiſſet non gratiam ſive amicitiam huius, a quo tam inſigni fraude laeſus fuerat, corrumpere ſeu perdere poterat, ſed favotem potius Deorum, a quibus metcedem laudis expectabat. Nam eo faſtidio oſtendiſſet illud neceſſitate coactum, animoque prorſus iniquo feciſſe. Atque hic ſane ſubit in eo verſiculo

Verum ut ſine irâ te dimiſſum ſentiant:

non abſurde legi poſſe cum ſolertiſſimo viro Nicolao Heinſio loco *te te dimiſſum, demiſiſſe*, vel potius, ut ego arbitror, *te miſiſſe*. Iſta enim lectio egregie ſuperiori reſponderet *ne male Dis miſſam &c.* Senſus loci eſſet: ſed ut Dioſcuri, o Simonide, qui reddituri tibi ſunt reliquas mercedis partes, ſentiant te *miſiſſe*, hoc eſt *tribuiſſe*, *ſacraſſe* eis duas Laudis partes ſine itâ in me, quod pactis non ſteterim, promitte mihi ad coenam, ut tu mensâ hoſpitali exceptus bonum erga me animum induas, et Dii benevoli mihi, praeſentesque fiant.

(12) *Populis*. Mendum eſt. Scribendum *poculis*, quae rectiſſima lectio eſt omnium librotum. Qui enim *populi* ad convivium Pyctae? nec potro *populi ſplendent hilare*. Contra vero omnino proprie *ſplendere* dicitur convivalis ſupellex. V. Interpretes.

(13) Hunc verſiculum in Editis excipit iſte, quem apponimus:

Magno adparatu laeta reſonabat domus:

(14) *Diffluentes, corpore*. Duo haec verba putri humore in Codice noſtro deleta eâ interpunctione et ſyntaxi ex libris editis mutuari placuit. Multi ſctibunt, et tuentur *diffluentes corpora*, et quidem non male; ſed, quum hic loquendi modus plane graecus ſit, et aliquanto inſolentior, ille contra

Humanam ſupra ſpeciem (15) *cuidam ſervulo*
Mandant, ut ad ſe provocet Simonidem (16).
Unum promôrat vix pedem triclinio,
Ruina domus (17) *ſubito oppreſſit ceteros,*
Nec ulli iuvenes ſunt reperti ad ianuam.
Ut eſt vulgatus ordo narratae rei,
Omnes dixerunt (18): *Numinum praeſentiam*
Vati dediſſe vitam mercedis loco.

tra latinus, congruentior, et perſpicuior, iſtam propterea lectionem praeferendam eſſe putavimus, quod iam, praeter ceteros, gravi conſilio fecit Petrus Butmannus in Comm. novo.

(15) *Speciem*. Editi *formam*. Perinde eſt, utrumque hoc loco rectum, utrumque ad eamdem ſententiam a probatiſſimis Scriptoribus uſurpatum. Compendii gratiâ vide, ſi lubet, Lexicographos.

(16) Libri editi poſt hunc verſiculum alios duos huiusmodi ſervant:

Illius intereſſe, ne ſciat moram,
Homo perturbatus excitat Simonidem.

(17) *Domus*. Ediri *Camarae*, et plane rectius tum ratione metri, tum ratione ſententiae. Phaedrus enim de uno triclinio, ut par erat, loquitur, idque unanimes ſervant Cicero lib. II. de Orat. c. 86, et Quintilianus lib. XI. Inſtit. c. 2 qui ipſam hanc hiſtoriolam narrant. Certe quidem ſi tota domus concidiſſet, tum dubio procul et ipſe Simonides ruinâ oppreſſus fuiſſet.

(18) *Dixerunt*. Vulgo *ſcierunt*: Noſtrum praeſtat. Quae enim argumento et coniecturâ pendent, non dicimus *ſcire*, ideoque populus non *ſcivit* Simonidem a Diis ſervatum, ſed ratus eſt, collegit, argumento reputavit. De omnibus vero loqui et differere ſemper poſſumus. Praeterea *ſcierunt* frigidum eſt, et minus opportunum. Nam ſuperiori verſiculo continetur. Nil enim *vulgatum* dici poteſt niſi in notitiam *vulgi* pervenerit, niſi *vulgus* narratam rem *ſciverit*. Quamobrem iure iſta lectio faſtidium creavit Criticis acutiſſimis Heinſio, Scheffero, Bentleio aliisque, et iure noſtra ut genuina habenda eſt.

28. FAB. I. LIB. V. num. 45.

DEMETRIUS PHALEREUS, ET MENANDER.

Quomodo ſaepe fallatur hominum iudicium.

Demetrius, qui dictus eſt Phalereus (1).
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos eſt vulgi, paſſim et certatim ruit (2);

(1) Haec ipſa vulgo eſt librorum editorum lectio, et haec ipſa fuit Pithoeani quoque et Remenſis Codicis. Verum tamen quum viſum fuerit vocem *Phalereus* penultimam ſyllabam producere Heinſius, Schefferus, Hoogſtratanus legere maluerunt *Phalerius*, Burmannus vero verba tranſponens ſcripſit:

Demetrius qui Phalereus dictus eſt.

vel etiam

Demetrius, Phalereus qui dictus eſt.

Sed nil opus eſt iſtis immutationibus, ut in receptâ lectione pedem iambum in ſextâ ſede tueamur. Nam *Phalereus* graecê plerumque eſt Φαληρευς, quemadmodum Ορφευς, Περσευς, Εμυθευς, Οδυσσευς etc. In his autem diphthongus non raro per diaereſim ſolvitur in iambum, vel pyrrichium. Exempla obvia ſunt. Virgilius Eclog. III. v. 41 ſcripſit:

Orpheaque in medio poſuit.

Auctor Culicis ſemel et iterum *Orpheus* dactylum fecit. Tum Palladius in Catalectis Virgilianis, et ipſe Noſter lib. III. Prol. v. 57 illa voce iambicos verſus clauſerunt. *Perſeus* penultimam corripit apud Manilium lib. I. Aſtron. v. 250, et *Tyndareus* apud Ovidium Epiſt. Heroid. VIII. v. 31. Jure igitur Philippus Labbeus vir doctiſſimus in Indice emendat. pronuntiat. ſcribit ad ſyllabam *Pha*: *Corripit penultimam* Phalereus *Demetrius, ſi diſſolvas; ut fieri ſolet. Nec, quaeſo, te indocti ſuas in partes obtorto pertrahant collo, et diphthongum inſcribas penultimae*: quod revera inepte fecit Petrus Danetus in ſua Delphiniana Phaedri editione, iure propterea a Burmanno reprehenſus.

(2) *Ruit*: quae etiam lectio fuit Codicum reliquorum, quemadmodum teſtantur Gudius, Bentleius, Burmannus. Plerique vero librorum editorum habent *ruunt*, ſed nulla auctoritate vel ratione. Vulgu

Feliciter ſuccłamant (3): *Ipſi Principes*
Illam oſculantur, quâ ſunt oppreſſi, manum,
Taciti (4) *gemenies triſtem fortunae vicem.*
Quin etiam reſides, et ſequentes otium,
Ne defuiſſe noceat repunt (5) *ultimi:*

In

gus enim totus populus non eſt, neque totus populus statim ad Demetrium cucurrit. Quin Auctor Civitatem Athenarum tres veluti in partes distinxit, plebem nempe, principes viros, et delicatos homines vel literario otio deditos, istoque ordine eam ad Demetrium procedentem inducit. Prima concurrit plebs. Ergo ſcribendum eſt *ruit*. Non negamus per ſyllepſin, quam Grammatici vocant, recte dici poſſe *vulgus ruunt*. Sed ubi ficta lectio ambigua et fallax eſt, cur perſpicuae et probatae Codicum lectioni haerendum potius non eſt? Et re quidem vera vulgata vox vel doctiſſimos Interpretes decepit. David Hoogſtraranus rem generatim ad homines, arque ad omnes Athenarum Cives retulit; et Burmannus qui in Comm. veteri opinionem huius probaverat, in novo Phaedrum ea voce ad universam civitatem ſpectaſſe autumavit. Sed palam eſt quam uterque a vero abetrârint, quod contra probe viderunt Meurſius et Bentleius. In altero quidem verſiculo eſt *ſuccłamant*, non *ſuccłamat*, ſed inde factum id teneo, quod Amanuenſis non retulit vocem ad το *vulgi* ſed ad το *principes*, quod e veſtigio ſequebatur, et ideo vocem ac interpunctionem corrupit. In Codice noſtro prima litera vocis *ipſi* minuſcula eſt, et poſt το *principes* eſt punctum, perinde ac eo ſententia clauderetur: eadem interpunctio fuit Codicis Pithoeani, et ita etiam edidit Pithoeus. Sed quis non videt verbum omnino referendum eſſe ad *vulgus*? quamobrem nemo ullus recipere recuſavit rectam et genuinam interpunctionem quam omnium primi in verſiculum induxerunt Rittershuſius et Meurſius.

(3) *Succłamant*. Scribendum *ſuccłamat*, quum de una plebe agatur: Principes gemebant taciti. Tum *ruit* quod genuinum eſt, omnino *ſuccłamat* poſtulat. Meurſius id iam viderat.

(4) *Taciti*. Editi *tacite*.

(5) *Repunt*. Codices Pithoeanus et Remenſis habuerunt *repetunt*, quod propterea in nonnullis libris vulgatum eſt. Sed lectio evidenter corrupta erat. Rittershuſius repoſuit *reptant* quod multis non immerito placuit. Joannes autem Tarinus maluit *repunt*, quod Aegidius Mena-

In quis Menander nobilis comoediis,
Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri:
Unguento delibutus, vestitu fluens (6),
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc ubi Tyrannus vidit extremo agmine:
Quisnam (7) *cinaedus ille in conspectum meum* (8)
Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim (9):

Menagius ad Diogenem Laert. in vit. Demetr. sect. 79. Gudius, Scheffierus probarunt, et Burmannus etiam recepit et edidit. Quum autem Codex noster hanc ipsam vocem habeat, nec potior lectio fingi possit, dubitari nequit, quin ea vera sit et genuina.

(6) *Fluens*. Editi *adfluens*. Nostrum rectum atque ex verborum proprietate. Hinc Propertio *vestis fluens*; lib. III. Eleg. 17. v. 32. Petronio Arbitro *vestifluus* Lydius cap. 133. Saturae, et Ausonio *vestifluus Ser.* in Tecnopaegn. cap. de hist. v. 24. *Vestitu* vero *adfluens* et insolens est ad hanc sententiam et ambiguum. *Adfluere* cum ablativo est *abundare*, ideoque *veste adfluere* esset multam habere vestem, quod plane ad rem non est. Heinsius autem iam lectionem nostram ex coniectura restituerat.

(7) *Quisnam*. Editi *quinam*. Perinde est. Illud tamen et alius Codex, teste Gudio, habuit, et frequentius ad sententiam usurpatur.

(8) *In conspectum meum*. Vulgo *in conspectu meo*, quod recipi et defendi potest. Sed dubitari nequit, quin nostrum longe maiori auctoritate nitatur, et plane sit ex proprietate verborum. Quin videtur ex Phaedri etiam stilo, qui fabul. VII. huius libri v. 22 scripsit:

Quidam in conspectum *proditurum fine mora.*

Juvenatius porro noster vir priscae elegantiae et mundiriae diligens vulgatam lectionem ex coniectura, ut puto, in nostram emendabat.

(9) *Mutatus statim*. His verbis in utroque Codice Pithoeano et Remensi Fabellà defecit. Richardus Bentleius vir maximi, sed audaciſſimi ingenii scribens *mutatur statim* eam perfectam et absolutam autumavit. Sed ex ratione fabellae, ex sententiâ, ex fide Codicis Pithoeani, qui lacunam praeseferebat, palam est nonnulla adhuc in ea desiderari. Ista autem quae fuerint, tam difficilia coniectu visa sunt,

ut

Homo, inquit, fieri non poteſt f.. m.ſ...(10).

.29.

ut ipſe Burmannus faſſus ſit in Comment. novo vix umquam futurum, ut reſtitutio laudabili conatu tentaretur. Verum tamen quum aegre omnes ferrent ſcitam et elegantem fabellam non truncam modo legi, ſed ſuo, ut ita dicam ſpiritu carentem Chr. Hauptius in Miſcel Lipſien. Tom. I. p. 260. iacturam reparare adgreſſus eſt; Sed homo meus tam invito Apolline et rudi Minerva fecit ut merito a Burmanno graviſſime fuerit exagitatus. Acceſſit deinceps ad periculum Ioſephus Desbillonius fabulator et ipſe minime abſurdus, ſed conatu, ut Hauptius, irrito ac vano. Verſiculi eius huiusmodi ſunt:

Numquam, inquit (Demetrius), *homines ſpecie ab externa mihi*
Diiudicandos eſſe nunc intelligo.

at quis ferre aequo animo poteſt haec Demetrio Phalereo tribui, quae vix imprudenti et rudi tyroni convenirent? Demetrius enim ex maximis Graeciae viris fuit, Peripateticorum aevi ſui nobiliſſimus, et non doctrinae modo ſtudiis, ut ait Cicero, ſed ſapientiâ regendae Civitatis princeps. V. II. de Leg. c. 26. III. c. 6. Pro Rabir. Poſthum &c. Diogenem Laerrium lib. V. de vitis Philoſoph. Sect. 75. &c. Iure igitur ad hunc fabellae locum exclamar Iuvenatius noſter: *Ego vero te, Demetri, quod tam ſero ſapias*: diſcipularum inter iubeo plorare cathedras; *ſed tu numquam certo ita locutus es, nec ſi vera Desbillonius in ſcholiis narrat locutus fuiſſes*. Quin, quum idem Desbillonius ad calcem Diſputat. III. de his verſiculis ſuis loquens, ſibi aliquo pacto blandiretur, haec adnotavit Iuvenatius: *Fruſtra ſi is Demetrius fuit, qui teſtimonio omnium, ne ipſo quidem Desbillonio refragante fuit. Quid autem illis verſibus alienius ab homine tam conſiderato et prudenti?* Praeterea quae ſpecies externa Demetrium fefellerat? Nil profecto minus. Nam niſi homo delibutus unguento, fluens veſte, greſſu fracto et delicato cinaedus eſt, cinaedi nulli plane dicendi ſunt. Nec Menander, ut ut doctus et Comicorum maximus, eo minus dici et haberi poterat mollis et effeminatus.

(10) Hic verſiculus, ut ſcribitur, tam clare et perſpicue in Codice legitur, ut ejus lectio certa et explorata habenda ſit. Burmannus quidem in Excerptis edidit

Homo, inquit, f.... eri non poteſt.

Sed inde factum id puto, quod ſive Dorvillii errore, ſive ſuo liturarum ſigna tranſpoſita fuerint. Fortaſſe lectum fuit:

Homo, inquit . . eri non poteſt f.....

nam revera elementa quae hic de-

29. FAB. II. LIB. V. num. 123.

DUO MILITES ET LATRO.

Multos in rebus secundis fortes esse, qui in dubiis sunt timidi.

Duo quum incidissent in Latronem milites,

desiderantur nonnisi adhibita aliqua sollertia et industria deprehenduntur. Ad totum autem versiculum duo pedes tantummodo desunt. Fragmento perpenso, spectato ordine et vi superstitum literarum, nullum plane verbum commodius inde exsurgere mihi visum est, quam *formosior*. Quod profecto egregie metrum servat, et ad sententiam tam recte facit, ut vix commodius, ni vehementer fallor, fingi quoque possit. Quemdam cinaedicè ornatum accedere ad se cum stomacho Demetrius videt; paullo post comperit eum ipsum esse doctum et iucundum Menandrum; Quid faceret? Neque delicatum et mollem hominem sibi visum negare poterat, neque huiusmodi vitium in viro tam insigni, et cuius ingenium vehementer demirabatur arguere etiam et insectari decorum aequumque erat. Quamobrem aptissime et argute laudavit eum ab egregiâ formâ, quae suo veluti iure elegantiorem cultum, et molliores munditias expostulat. Quo quidem pacto, neque invidiam in Menandrum creabat Demetrius, neque a iudicio suo, ut par erat, recedebat. Scio quidem Suidam in *Menand.* scribere eum fuisse strabum (σραβον τας οψεις) sed elegans species haberi recte potest strabis oculis, neque hoc vitium deformes, quos dicimus, et turpes facit, quin immo, quidquid sit de Suidae auctoritate, certum et exploratum videtur insigni revera specie praeditum fuisse Menandrum. In eleganti enim inscriptione posita ad statuam eius, ut videre est apud Ianum Gruterum in Corp. Inscript. p. MXXVII. 1. inter alia haec leguntur:

Δηλος δ' ει φορεων αιει Θεον
(Ερωτα), οπποτε και νυν
Σην μορφην κατιδων αυτικα
πας σε φιλει.

quae sic vertebat, quamvis haud faustissimo Apolline Laurentius Gambara:

Est tecum nam semper Amor, et dignus amari
Es, quicumque tuam viderit effigiem.

Praeterea honestâ sane formâ exhibetur in numo apud Fulvium Ursinum. Nostra igitur lectio probari et recipi iure potest.

Unus profugit, alter autem reſtitit (1),
Et vindicavit ſeſe forti dextera.
Latrone exciſo (2), *timidus accurrit comes*,
Stringitque gladium, deinde (3) *reiecta penula*;
Cedo,

(1) Utrumque verſiculum non habuerunt Codices Pithoeanus et Remenſis: attamen ne in libris editis abrupta et trunca fabella legeretur Rittershuſius, Hoogſtratanus, Burmannus, et Hauptius inſtaurare quae exciderant conati ſunt: Tres primi aliquâ ſane elegantiâ rem confecerunt, ſed tantâ verborum copiâ, tam diffuſe, et prolixe, ut ex hoc uno capite oſtenderint quam longe abierint a veſtigiis Phaedri, qui ſemper preſſus eſt, et ſtili brevitatem unice praedicat. V. Prolog. lib. II. v. 12. IV. fab. 23. v. 8. V. fab. 5. v. 45. ut et III. fab. 10. v. 60. Hauptius contra muſis quamvis invitis ad iuſtam brevitatem, et ad ſententiam acceſſit: ſcripſit enim

Invaſit improbus viatores latro
Duos, ſed alter fugit, alter conſtitit.

Sed tandem, Perottino Codice comperto, genuini verſiculi recepti ſunt, ac vulgati a Philippo, et Desbillonio.

(2) *Exciſo*. Editi *occiſo*, et ſententiâ, ut videtur, ita obviâ, ut nullus adhuc Interpretum, quod ſciam, de eius genuinitate dubitaverit. Sed, perpenſa re, erit quo vulgata iſta lectio minus probata et recta videatur. Nam, ſi latro plane necatus fuerat, ut vis vocis eſt, quomodo miles, qui pugnam ſpectaverat, et adcurrens latroni propior fieri debuit, audere potuiſſet gladium in eum ſtringere, veluti ad mortem iterum peteret, atque ut commodius cum defuncto depugnaret reiicere penulam, et quaſi aliquid adhuc perficiendum fuiſſet illud a ſocio efflagitare? Longe ergo veroſimilior eſt ſententia, quae ex noſtrâ lectione colligitur. *Exciſus* recte uſurpatur pro *devicto*, *oppreſſo*, *graviter vulnerato*. Ex Nonio Marcello patet *excidere* fuiſſe etiam *vulnerari*, et *laniare*, quod Perottus in Cornucopiâ, ceterique Grammatici et Lexicographi merito receperunt. Velleius Paterculus lib. II. c. 22. *Germaniam exciſam* dixit.

(3) *Deinde*. Sic etiam, Gudio teſte, Codex Remenſis. Editi vero habent *dein*, ſed qua auctoritate neſcio. Non dubito ſane quin rectiſſime retineatur, ſed quum in *reiicio* prima ſyllaba contrahi poſſit, quemadmodum in ceteris verbis fit, quae a *re* componuntur, putarem lectione Codicum, inducto anapaeſto in quarta ſede, metrum recte ſervari poſſe.

Cedo, inquit, illum; iam curabo, ſentiat,
Quos attentârit. Tunc qui depugnaverat:
Vellem iſtis verbis ſaltem adiuviſſes modo (4).
Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem,
Ut poſſis (5) alios ignorantes fallere:
Ego qui ſum expertus quantis fugias viribus,
Scio quam (6) virtuti (7) ſit credendum tuae.

30.

(4) Deeſt hoc loco verſiculus, qui in editis huiuſmodi eſt:

Conſtantior fuiſſem vera exiſtimans.

(5) *Ut poſſis*. Sic etiam vulgo legitur. Sed quid his ſibi voluit Phaedrus? quis hanc ſententiam probaverit: *tace, ut poſſis fallere, qui te ignorant?* Desbillonius interpretabatur *ut* pro *etſi*, *licet*, *quamvis*, ſed exempla non protulit. Ego quidem damnare lectionem non auſim, ſed levi immutatione inductâ mihi legerem *tu poſſes*, quod egregiam plane et perſpicuam ſententiam praeſefert.

(6) *Scio quam*. Codex Remenſis *ſcio quid*, quod Gudio placuit, nec immerito. Libri vero editi habent *ſcio quod*. Sed acerrimè a viris doctis decertatum eſt, an poſtremus iſte loquendi modus ſatis latinus et probatus fuiſſet. Negarunt Fridericus Gronovius, Marquardus Gudius, Richardus Bentleius, Franciſcus Sanctius; affirmarunt contra Henricus Stephanus de Latin. falſo ſuſpect. Ger. Ioan. Voſſius de Conſtruct. c. 20. et 62., Gaſpar Scioppius in Auct. Mariang. c. 6. et Iacobus Perizonius ad Minerv. Sanctii lib. III. c. 14. Ego quidem dicendi modum rectum generatim puto, ſed longe rectius et elegantius in fabellâ noſtrâ ſcribi *ſcio quam*, quod revera unice probarunt Gronovius, Bentleius, et Burmannus. *Quam* ibi eſt *quantum*.

(7) Hoc loco libri editi habent voculam *non*, quae ferri quodammodo poteſt; ſatius vero expungitur. Eo enim pacto arguta et opportuna ironia inducitur, quam vel ea, quae ſuperiori verſiculo continentur, poſtulare ſatis clare videntur. Nec dubium eſt quin, vulgata lectio, ſi noſtrae comparetur, frigida ſit. Metrum vero in verſiculo Codicis ſervatur. Etenim in voce *ſcio* altera ſyllaba produci poteſt. Verum quidem Marium Victorinum, Marium Corradum, ceteroſque paſſim Grammaticos docere eam eſſe ſemper corripiendam; ſed contrarium tueri conatus eſt Ger. Joan. Voſſius Grammaticorum do-

30. FAB. III. LIB. V. num. 125.

MUSCA ET CALVUS.

His qui caſu peccant dandam eſſe veniam, qui vero conſulto delinquunt eos eſſe puniendos (*).

Calvi momordit muſca nu*datum caput*,
Quam opprimere captans, *alapam ſibi duxit gravem.*
Hunc

doctiſſimus in Ariſtarch. lib. II. c. 27. Et re quidem vera multi ex Veteribus ita tenebant *ſcio*, ut cetera Latinorum verba in *o*, poſtremam producere, ut putarent, exempli gratiâ apud Virgilium Eclog. VIII. v. 47. *nunc ſcio*, non eſſe dactylum, ſed ſpondaeum, duabus ſyllabis per συνίζησιν in unam coeuntibus. Verum tamen quum illorum auctoritas non levis ponderis videatur, et numerus Phaedriani verſiculi aliam ſyllabam poſtulet, ego loco τὸ *non* reponerem *nunc*, quod iam fecit Gudius, et legerem

Scio quam virtuti nunc ſit credendum tuae.

Plane appoſite, ut arbitror, perinde ac ſi miles pugnator dixerit; ego qui antea virtutem tuam non probe noveram, *modo*, *nunc*, *iſto ſpecimine edito*, ſcio etc. omnia ironice, ut res poſtulabat, et nos obſervavimus.

(*) Ex Epimythio Phaedri, cuius vulgatior lectio haec eſt:

Hoc argumentum veniam mage dari docet,
Qui caſu peccat, quam qui conſilio eſt nocens,
Illum eſſe quavis poena dignum iudico.

Animadvertendum autem eſt in his verſiculis, qui in ipſis Codicibus corrupti erant ac vitiati, haudquaquam ſingula probata eſſe et genuina. Et primum *mage*, quod Codices non agnoverunt, eſt omnino expungendum; quum ſententiam pervertat ac corrumpat. Ex totâ enim fabellâ, et ex poſtremo epimythii verſiculo omnino patet nil minus a Phaedri mente abfuiſſe, quam veniâ dignum illum autumare, qui datâ operâ, et pravo conſilio peccaverit. Burmannus repoſuit *modo*; ſed huiuſmodi vox plane otioſa eſt, ni mavis etiam minus opportuna. Ego potius cum Rigaltio, et aliis pleriſque legerem *ei*: aiunt hanc vocem, non requiri, et Phaedrum praenomina huiuſmodi non raro omit-

Hunc illa irridens (1): *punctum volucris parvulae*
Voluiſti morte ulciſci, quid facies tibi,
Iniuriae qui addideris contumeliam?
Reſpondit: mecum facile redeo in gratiam;
Nam (2) *non fuiſſe mentem laedendi ſcio:*

Sed

mittere ut fab. 2. lib. III. v. 17. fab. 4. lib. V. v. 10. &c. Sed non vident ingens locorum et rerum diſcrimen. Praeterea, ſi princeps orarionis dos perſpicuitas, nil porius hanc lectionem commendat. *Quam* altera vox eſt emendanda. Heinſius legebat *nam*, et certe longe potius prae *quam*; ſed fatendum eſt: cauſſalis illa particula hic ſubfrigida videtur, et parum opportuna. Ego ſimpliciter legerem *non*. Sic fab. 15. lib. III. v. 17.

Facit parentem bonitas non neceſſitas.

Tertio το *illum*, quod in lectione Heinſiana teneri recte poreſt, in vulgatâ abſurdum eſt. Quidni ſcribamus *iſtum*? Tandem Iuvenatius malebat in poſtremo verſiculo *iudica* non *iudico*. *Malim*, ait, *iudica, idque auctoritatis et bortaminis gratia, quae* τῷ επιμυθίῳ *inesse debet*. Quamobrem, niſi vehementer fallor, magis perſpicuum, magiſque ad fabellam accommodatum erit epimythium, ſi hoc pacto legemus:

Hoc argumentum veniam ei dari docet,
Qui caſu peccat, non qui conſilio eſt nocens:
Iſtum eſſe quavis poena dignum iudica.

(1) *Hunc illa irridens*. Editi *tunc illa irridens*. Noſtrum potius. Nam ſubiectum verbi ad iuſtam ſyntaxin, et ad ſententiae perſpicuiratem longe potius exprimitur, quam reticetur. *Irridens* autem et ceterorum Codicum fuit. Burmannus ramen legendum eſſe contendebat *tunc illa rideris*, quia verbum fuiſſet *mutatum a ſciolo, qui riſum proprium eſſe homini credebat, nec decore muſcae dari*. Sed mirari ſubit, quomodo Burmannus, qui plerumque religioſe lectioni Codicum haerer, nulla modo ratione et temere ab ea receſſerit. Nam, praeterquamquod ex noſtrâ et vulgatâ lectione egregia exſurgit ſententia, revera riſus ea humanae naturae dos eſt, quae decore cereris animantibus attribui non poſſe videatur. Certe neſcire me fateor, qui ex praeſtantioribus Fabulatoribus, vel Poetis id uſurpaverit. Praeterea, qui tidere poterat muſca, quae vix tum a praeſenti morte ſe ſubduxerat? Sed quum quis a gravi et imminenti periculo tutus eſt, tum non ridet, ſed oppreſſorem, quem iam non timet irridet. En Muſca et Calvus.

(2) *Nam*. Editi *quia*.

Sed te contemti generis animal improbum,
Quae delectaris bibere humanum ſanguinem,
Optem carere (3) *vel maiore incommodo.*

31. FAB. IV. LIB. V. num. 126.

HOMO ET ASINUS.

Vitandum ſemper eſſe periculoſum lucrum (*).

Quidam quum immolaſſet verrem ſancto Herculi (1),
Cui pro ſalute votum debebat ſua:
Aſello iuſſit reliquias poni hordei,
Quas adſpernatus ille ſic locutus eſt:

Li-

(3) *Carere*. Non prorſus abſurde. Libri vero editi habent *necare*, quod rectius, et plane, ut videtur, genuinum.

(*) Phaedrus in Epimythio:
Periculoſum ſemper vitavi lucrum.
Nonnulli loco τὸ *vitavi*, legunt *reputavi*, et Desbillonius hanc revera Pithoeani et Remenſis Codicis lectionem eſſe aſſerit. Sed Desbillonius, ut fab. 26. diximus, neutrum Codicum viderat, nec alius qui eos vidiſſet, id unquam dixit. Rigaltius autem qui tertiâ ſuâ Phaedri editione primum τὸ *vitavi* protulit, id plane ex Codicum fide feciſſe videtur. Tum enim iam utroſque verſaverat; nec vir doctus a commodâ et receptâ lectione nulla auctoritate receſſiſſet. Quin id exploratum etiam dixeris quum idem verbum in Excerptis eius, quae ſaepe Heinſius adducit, exaratum inventum fuerit. Praeterea, ſi Perottus habet *vitandum*, et is verſiculum Phaedri ad verbum deſcripſit, quis dubitaverit, quin genuina vox ſit *vitavi*? Tandem haud leviter lectionem noſtram firmat, quod Phaedrus etiam de ſe ipſo Prolog. lib. III. v. 21. ſcripſerit:
Curamque habendi penitus corde eraſerim.

(1) Verſiculus in libris editis legitur:
Quidam immolaſſet verrem quum ſancto Herculi:
quod tenendum eſt gratiâ carminis.

Libenter iſtum (2) *prorſus adpeterem cibum,*
Niſi qui nutritus illo eſt iugulatus ſoret.

32. FAB. V. LIB. V. num. 31.

SCURRA ET RUSTICUS.

Pravo favore ſaepenumero homines labi (*).

Facturus ludos dives quidam et nobilis (1),
Propoſito cunctos invitavit praemio,
Quam

(2) *Libenter iſtum.* Codices Pithoeanus et Remenſis habuerunt, teſte Gudio, *libenter tuum*, quod, quum leges carminis graviter violaret docti viri ediderunt *tuum libenter*. Bentleius autem lectionem noſtram ex coniectura propoſuit, et probavit, quae profecto genuina videtur. Etenim neque proprietate verborum, neque perſpicuitate ſententiae de homine dici poteſt hordeum eſſe cibum ſuum. Urgebat quidem Burmannus in Bentleium recepto τῳ *iſtum* neſcio quid aſperi exſurgere, quum paullo poſt ſit *illo*, ſed quomodo non vidit vir doctus ex vulgatâ lectione graviorem difficultatem oriri? Nam *illo* ad *tuum* ſpectaret, atque de una et eadem re, acerbiori etiam aurium faſtidio, duae perſonae, quas Grammatici vocant, in ſyntaxim inducerentur.

(*) Phaedrus in Promythio ſuo

Pravo favore labi mortales ſolent.

(1) *Dives quidam et nobilis.* Uterque Codex Pithoeanus et Remenſis habuit *Quidam dives nobilis*, quod propterea in multis libris receptum eſt. Schefferus autem primus legere maluit *nobiles*, vocem non ad hominem, ſed ad ludos referens. Ceteri porro fere omnes in ſententiam eius conceſſerunt. Attamen Ioannes Georgius Walchius in ſuâ Phaedri editione pro veteri Codicum lectione ſtetit, et nil immutandum contendit, quum Phaedrus ad nobilitatem et genus Editoris fortaſſe ſpectavetit. Burmannus quidem emendationem Scheſferianam tueri conatus eſt, animadvertens non a viris generoſis tantummodo editos fuiſſe

Quam quiſque poſſet (2) *ut novitatem faceret* (3).
Venere artifices laudis ad certamina:
Quos inter Scurra unus (4) *urbano ſale,*
Habere dixit ſe genus ſpectaculi,
Quod in theatro numquam prolatum foret.
Diſperſus rumor Civitatem convocat (5);
Paullo ante vacua turba (6) *deficiunt loca.*

In

ſe ludos, ſed a plebeis quoque et ignobilibus; at, quamvis id verum ſit, dici nequit de iſtis potius quam de illis Phaedrum locutum, quin fab. VII. huius lib. v. 16. iidem Codices habuerunt

Erat facturus ludos quidam nobilis,

et ſi aliter aliquot in libris legitur auctore Heinſio factum eſt. Lectio igitur noſtra quum elegans, perſpicua, ſubiectoque egregie congruens ſit, tum auctoritate reliquorum Codicum ex parte etiam firmetur, dubitari nequit, ut arbitror, quin probata ſit et genuina.

(2) *Faceret*. Editi *oſtenderet*, quod gratiâ metri tenendum eſt.

(3) *Poſſet*. MS. Remenſe *poſſit*. Noſtrum potius, quod libri editi retinent.

(4) *Unus*. Editi *notus*, quod rectiſſimum.

(5) *Civitatem convocat*. Ex proprietate verborum, quemadmodum exempla Scriptorum paſſim oſtendunt. Vulgo legitur *civitatem concitat*. Non abſurde: ſed noſtra lectio plane praeſtat, ea etiam de cauſſa, quod verbum *conciture* invidioſam plerumque exprimit ſententiam, et neſcio quid turbae, irae, tumultus ſignificat. Interpretes ad vulgatum locum hoc Ovidii diſtichon adducunt ex Epiſt. Hero. XVI. v. 339.

Nec tu rapta time, ne nos fera bella ſequantur,
Concitet aut vires Graecia tota ſuas.

Sed eo ſententia noſtra probatur.

(6) *Turba*. Mendum manifeſtum. Scribi poſſet *turbae*, quum verbum *deficio* a Cicerone III. Verr. c. 11, a Caeſare de Bell. Gallic. c. 15., et aliis quoque cum dandi caſu copuletur: Sed quum longe frequentius a Scriptoribus cum accuſativo coniungatur, quemadmodum praeter ceteros plurimis exemplis obſervavit Heinſius ad Ovidium I. Amor. Eleg. VIII. v. 92., et II Metam. v. 382. quum libri omnes editi habeant *turbam*, iſtud potius probandum et retinendum eſt.

In ſcenâ vero poſtquam ſolus conſtitit,
Sine adparatu, nullis adiutoribus,
Silentium ipſa fecit expectatio.
Ille in ſinum repente demiſit caput,
Et ſic porcellum voce imitatus eſt ſua (7),
Verum ut ſubeſſe pallio contenderent,
Et excutere (8) iuberent: quo facto, ſimul
Nihil eſt repertum, multis onerant laudibus (9),
Ho-

(7) Libri editi totum hunc verſiculum ſic exhibent, nempe:

Et ſic porcelli vocem eſt imitatus ſua:

Diſcrepantia profecto non levis; ſed difficile tamen decerni poteſt, quae lectio ex duabus vera omnino ſit, et genuina. Auſonius Epigr. 75. de ſimili ſcurrâ utroſque loquendi modos uſurpat; ſic enim ſcribit

Latratus catulorum, binnitus fingis equorum,
Caprigenumque pecus, lanigeroſque greges
Balatu adſimulas.....
Gallorum cantus, et ovantes gutture corvos.

Sed Plato unum noſtrum expreſſit lib. III. de Repub. p. 396. Edit. Lugd. 1590. τί δε; ἱππους χρεμετιζοντας, και ταυρους μυκωμενους, και ποταμους ϕορυτας, και θαλατταν κτυπουσαν, και βροντας, και πασα αυτα τοιαυτα η μιμησαυται; ſcilicet ex Marſilii Ficini verſione: *Num equos binnientes, vel mugientes tauros, aut fragorem immurmurationemque fluviorum, aut maris fremitum, vel tonitrus, vel cetera eiuſdem generis* (pueri) *imitabuntur?* Ita etiam Plutarchus de aud. Poetis quemdam Parmenonem ait imitatum fuiſſe τον ὑν ſuem, et Theodorum τας τροχιλιας trochleas. Quamobrem, quum videatur etiam facilius noſtram lectionem in vulgatam tranſire potuiſſe non contra, in ipſam noſtram animus inclinaret. Certe Philippus ubi eam in Schedulis Dorvillianis deprehendit, probavit, et vulgatae praetulit.

(8) *Excutere*. Editi *excuti*. Noſtrum videtur potius; nam ex lectione vulgata non levis ambiguitas oriri poteſt. Plautus autem Aulul. IV. 4. v. 19. *Agedum, excute dum pallium.*

(9) *Laudibus*. Ita quoque in libris omnibus editum eſt. Sed Gudius quum in Pithoeano et Remenſi Codice se reperiſſe *lancibus* non *laudibus* teſtatus eſſet, exquiſita quadam eruditione hanc eſſe genuinam lectionem contendit ab Interpretibus minime intellectam. Heinſius quidem in ſententiam eius ivit, Critici tamen reliqui plerique omnes illud *laudibus*

Hominemque plauſu proſequuntur maximo (10). *Hoc vidit fieri Ruſticus: non mehercules* (11) *Me vincit* (12), *inquit, et ſtatim profeſſus eſt, Idem*

dibus retinuerunt et propugnarunt. Et iure quidem. Scurra enim nullo pacto onerari potuit in ſcenâ iſtis *lancibus*, nam, ut lepide Burmannus ait, periiſſet procul dubio fato Tarpeiae virginis. Neque porro Hiſtriones donabantur *lancibus* a populo, ſed a Iudicibus, ac Editoribus. Praeterea de *laudibus* Auctorem loqui illa oſtendunt, nempe: *venere laudis ad certamina: plauſu proſequuntur: movet plauſus.* Tandem *onerare laudibus* egregius eſt et probatus dicendi modus. Livius lib. IV. c. 13. *Laudibus haud immeritis onerare*, lib. X. c. 14. *Iuvenes pari comitate utrumque nunc laudibus, nunc promiſſis onerant*, et ſimili pacto Iuſtinus lib. V. c. 4. *bonoribus onerare*. Haec igitur lectio quum ex fide Codicis noſtri ſit, et ad ſententiam unice faciat genuina dubio procul habenda eſt.

(10) Verſiculum hunc eodem pacto exhibent omnes libri, et certe minime male. Iuvat tamen hic coniectionem Iuvenatii adferre, quae aliquando fortaſſe inutilis non erit. *Malim*, ait: Plauſuque proſequuntur hominem maximo. *Eſt ſane id genus figurae* (qua nempe particula *et* perſonis, non rebus adnectitur) *Horatio familiaris, ſed quid Phaedri humilitati, et ſimplicitati cum Horatii granditate et munditiis? quare, quod* moribus hic, meliorque fama (Carm. III. od. I. v. 13.) *et* ludo, fatigatumque ſomno (lib. cir. od. IV. v. 11.) Ore pedes, tetigitque crura (Carm. II. od. 19. v. 32.) *et ſexcenta alia in hunc modum dixerit Horatius, iure ſuo fecit, ut a vulgi conſuetudine diſcederet, at Phaedrus contra omnino debuit.*

(11) *Mehercules.* Vulgo *mehercule*; perinde eſt; illud tamen et a Phaedro, et ab aliis Scriptoribus frequentius uſurpatur. Hoc alterum ſane mutilum quodammodo eſt.

(12) *Me vincit.* Editi *me vincet.* Noſtrum videtur rectius. Nam verba ſunt Ruſtici, qui caſu ad ludos venerat, et quum ea, quae cernebat fieri, ſe etiam praeſtare poſſe ſentiret, affirmat in illa re a Scurra minime ſuperari. Contra vero ex lectione vulgata videtur eum iam paratum adeſſe, et to *profeſſus eſt* factum quodammodo ſupervacaneum. Nam *vincet* et provocationem, et profeſſionem certaminis exprimit. Praeter ea, niſi fallit opinio, *vincet* et *profeſſus eſt* neque rectiſſimam ſyntaxin, neque ſententiam egregiam habent.

Idem facturum melius ſe poſtridie:
Fit turba maior; iam favor mentes tenet;
Et deriſurus, non ſecuturus ſedet (13).
Uterque prodit: Scurra degrunnit (14) prior,
Movetque plauſus, et clamorem (15) ſuſcitat.

Tum

(13) Hunc verſiculum Codex Remenſis hoc pacto exhibuit, Gudio et Heinſio teſtibus, nempe:

Et deriſuros, non ſpectaturos ſitet.

Poſtremum vero *ſitet*, manifeſto corruptum, Salmaſius legit *ſtitit*, quod probare contendit Gudius, Heinſius *ſcias*, Iohnſonius *citat*, Burmannus *putes*, Desbillonius *ciet*. In libris autem editis vulgo repoſitum et receptum eſt:

Et deriſuri non ſpectaturi ſedent,

quod Hoogſtratanus in illud immutare malebat:

Et deriſores non ſpectatores ſedent.

Non dubito vero quin lectio noſtra his omnibus praeſtet. Certe non modo auctoritate Codicis tota commendatur, ſed elegantiâ quoque et perſpicuitate ſuâ. Quin ſolitum etiam Phaedri ſtilum prodit. Hîc *favor* ſedet et ſpectat, ut fab. 13. lib. I. v. 12. *ſtupor ingemit* fab. I. lib. II. v. 14. *aviditas eſt dives*. Prolog. lib. III. v. 60. *livor fruſtra gemit.* fab. 20. lib. IV. *livor cogitat*, *diſſimulat*, *contendit*, et alia paſſim toto opere. Vox autem *ſequi* multâ cum proprietate uſurpatur. Nam revera populus non ſpectabat, ut antea, ſimpliciter et aequo animo, ſed certo ſtudio eorum alterutri favebat; quamobrem non erat *ſecuturus* victoris partes, quiſquis ille futurus erat ſive Scurra ſive Ruſticus, ſed hunc tantummodo *deriſurus*. Accedit etiam in Pithoeano Codice non *ſpectaturos*, ſed *expectaturos* lectum fuiſſe; quod verbum eamdem fere ſententiam habet ac noſtrum *ſecuturus*, nam *expectare* hîc eſt *expectare eventum* rei, *finem*, *exitum*, et ex eo iudicare. Quidni ex Gloſſa, quam vocant, irrepere in Codicem Pithoei potuit?

(14) *Degrunnit*. Sic multi etiam ex libris editis. Alii *digrunnit*. Noſtrum malebant Ritterhuſius et Heinſius, quin ſic legendum plane contenderunt Freinshemius, et Burmannus.

(15) *Clamorem*. Nempe vociferationem et adclamationem in Theatro, vulgo legitur *clamores*. Hoc plerumque, ſi memini, ad invidioſa traducitur.

Tum (16) *ſimulans ſeſe veſtimentis Ruſticus*
Porcellum obtegere, quod faciebat ſcilicet (17);
Pervellit aurem porco (18), *quem celaverat*,
Et cum dolore vocem naturae exprimit.
Adclamat populus Scurram multo ſimilius
Imitatum, et cogit Ruſticum trudi foras.
At ille profert ipſum porcellum de (19) *ſinu*;
Turpemque aperto pignore (20) *errorem exprobrans* (21): *En*,

(16) *Tum*. Vulgo *tunc*, quod obſervandum, quia iſta permutatio ſaepius fit.

(17) Hunc verſiculum in libris editis alius huiuſmodi excipit, nempe:

Sed, in priore quia nil comperarant, latens.

Ego quidem de eius genuinitate iudicare mihi nullo pacto ſumo, fidenter vero aio fabellam abſque eo recte et egregie conſtare. Neque leve fane eſt doctiſſimos viros Ioannem Henricum Urſinum, Nicolaum Heinſium, Davidem Hoogſtratanum, alioſque non paucos, vel ut genuinum non agnoviſſe, vel expungendum cenſuiſſe.

(18) *Porco*. Editi *vero*, porcello ſcilicet, quod propterea teneri poteſt. Hic autem *porcellus* eſt ſpecies et ſimulacrum porcelli, quod Scurrae veſtimentis ſuis effingebant, quo melius et verisimilius iocus procederet. Quamobrem haud male repetitur vox *porco*, de vero ſcilicet. Heinſius vir certe ſolertiſſimus loco 78 *vero* legebat *verri*, nec dubito quin lectionem Codicis Perottini praetuliſſet, ſi eam noviſſet.

(19) *De*. Editi *e*, quod obleges carminis rectius.

(20) *Aperto pignore*. Haec ipſa eſt lectio vulgata, et quidem recta. Nam *apertum pignus*, non eſt hic, quod detecta veſte aperitur et proditur, quemadmodum apud Virgilium VI. Aen. v. 406.

. . . *Aperit ramum, qui veſte latebat.*

Nam neque porcellus proprie et ſingillatim *pignus* dici poteſt, nec ſi dictus ita fuiſſet in ſuperiori verſiculo legeretur: *Profert ipſum porcellum de ſinu*. Sed *pignus apertum* eſt argumentum manifeſtum, res evidens, certa, praeſens: Reſpondet illis verbis promythii:

Ad poenitendum rebus manifeſtis agi.

Idem autem Virgilius lib. III. Aen. v. 610. ſcripſerat:

Ipſe pater dextram Anchiſes haud multa moratus
Dat Iuveni, atque animum praeſenti pignore firmat.

et Phaedrus fab. 13. lib. III. v. 14.

En hic declarat quales ſitis iudices.

f 2

Apertum eſt *quis non poſſit, et quis fecerit.*

Mirari igitur ſubiit, quomodo doctiſſimus vir Burmannus de veritate tam receptae et elegantis lectionis dubitare potuerit. Putabat novis detectis Codicibus dubium ſuum firmari, ſed contra omnino accidit.

(21) *Exprobrans.* Vulgo *probans.* Noſtrum plane praeſtat. Manifeſtus enim et evidens error non *probatur*, non indiget argumento et demonſtratione. Secus evidens non eſſet. Contra vero *exprobrari* rectiſſime poteſt, et quum etiam tam turpis iniuria illata fuiſſet Ruſtico, eo etiam ex capite vox commendatur. Tandem etiam quae ſequuntur eam poſtulant, et innuunt.

PARS II.

FABELLAE NOVAE.

FABELLAE NOVAE

FABULA I. num. 1.

SIMIUS ET VULPES (*).

Avarum etiam quod ſibi (**) ſupereſt non libenter dare.

VUlpem rogabat partem caudae Sim... (1)
Contegere honeſte poſſet ut nudas nates;
Cui ſic maligne: Longior fiat licet,

(*) Fabellam hanc ſoluta tamen oratione deſcriptam habet Romulus, quem edidit Rimicius lib. III. n. 17. Alter, quem vulgavit Fridericus Nilantius n. XXXVI. et Anonymus antiquus n. XLVI. Fabulator aurem Elegiacus carmine expreſſit. Nemo neſcit illos Scriptores fabellas ſuas ex Phaedro mutuatos fuiſſe, ſolutis plerumque, interpretatis, et explicatis verſiculis. Quamobrem Petrus Burmannus in iambos eam coercuit, et poſtliminii iure, ut ita dicam, Phaedro vindicare conatus eſt. Abiit quidem longe a ſtilo et elegantia eius, quemadmodum ipſemet ingenue fatetur Praef. ad Comm. nov. in Phaedr. ſed id dandum potiſſimum illis interpolatoribus, qui prolixe ſaepe auctorem ſuum commentantur, et non raro corrumpunt. Attamen qui eorum fabellas cum Iambis, quos modo producimus, confert, vix dubitare poteſt, quin illae horum interpretatio, atque, ut ita dicam, gloſſa habendae ſint.

(**) *Sibi*. Ita quidem in Codice. Burmannus in Schedulis Dorvillianis legit *ei*.

(1) *Sim*... Nempe *Simius*. Burmannus in Excerptis dedit *Simia*. Id ſane parum intereſt, quum utraque vox probata ſit ac latina, ſed illud tamen Codicis veſtigia praeſeferunt, et Phaedrus quotie: vocem uſurpat in eo genere, quod

Tamen illam citius per lutum et ſpinas traham,
Quam tibi impartiar parvam quamvis pa....(2).

FA-

quod Grammatici vocant, uſurpat. Ita quoque Romulus Nilantii habet *Simius*, et alter Rimicii *Symeus*.

(2) *Pa....* Scilicet *partem*, quod ex veſtigiis reliquarum etiam literarum ſatis clare eruitur. Sed vox ſpondaeum habet, ideoque verſiculus claudi eâ nequit. Verum quidem eſt antea ſcriptum fuiſſe in Codice *bonum*, ſed verbum hoc neque hic elegans eſt, neque ſatis ſubiecto congruens. Tum cur deletum fuiſſet, ſi genuina vetuſti MS. lectio fuiſſet? Burmannus autem reponebat *pilum*, quae coniectio placuiſſet, ni το *partem* argute repetitum ex ſuperioribus videretur, et ni alia inſuper vitia in verſiculo eſſent, quae aliam emendationis rationem expoſtularent. Etenim in primâ ſede, adhibitâ, ut par eſt, ſynaloephe trochaeus offenditur, quem carminis ratio omnino abhorret. Non negaverim Poetas haud raro ſervaſſe vocales literas ſibi invicem occurrentes, quod alibi etiam obſervavimus, ſed, ſi animadvertatur, id plerumque factum, ubi nomina inſignia, praeclara ſententia, peculiaris verſiculi ſtructura veniam licentiae facile exorarent. Sed nil huiuſmodi, ni fallor, apparet in noſtro verſiculo. Praeterea, etiamſi reiiciatur ſynaloephe, omnes dipodiae integrae verſiculum ſolvunt et corrumpunt. Atqui omnium carminum lex eſt, ut in verſiculis caeſura inducatur, et ne omnes pedes integris verbis conſtent: Quod profecto ita tenuit vir poeticae artis callentiſſimus Gabriel Faernus, ut non dubitaverit in libello ſuo de verſibus Comicis ad eam legem emendare nonnullos verſiculos Catulli, Horatii, et Senecae, quamvis iam vulgatos et receptos. Quamobrem etſi probare et recipere nolimus eas leges de Iambis, quas Aulus Gellius lib. XVIII. Noct. Actic. c. 15. Iuvenatius ad fab. 7. Phaedri lib. III. aliique tenendas eſſe cenſuerunt, cogimur ſaltem verbum unum in huiuſmodi verſiculis ſcandendo dividere ut pedi ſequenti etiam inſerviat. Quamobrem, quum verſiculus noſter aliquo pacto vitiatus appareat, et leniſſima emendatio ſit traiectio verborum, non dubitaverim ſcribere:

Tibi quam parvam quamvis partem impartiar.

vel potius:

Quam parvam quamvis partem impertiar tibi.

Quae profecto metrum egregie ſervant. Haec autem emendatio eo lubentius, ut arbitror, recipi poteſt, quo ſaepius in fabellis Phaedri, quas iam protulimus, genuinum verborum ordinem inverſum novi-

mus

FABULA II. num. 5.

AUCTOR.

Non esse plus aequo petendum.

A..... (1) si . a..r. (2) f....sset (3) meo Genus mortale, longe foret instructius:

Na

mus et immutatum. Fastidium fortasse creaverit auribus delicatis illud *partem impartiar vel impertiar:* sed nemo nescit quam frequenter Scriptores praestantissimi loquendi modos plane similes usurpaverint, ut *vivere vitam, gaudere gaudium, servire servitutem, ludere ludum*, et alia huiusmodi. Plautus Capt. II. 3. v. 31. Milit. glor II. 6. v. 2. III. 1. v. 34. Terentius Andr. V. 5. v. 8. Eunuch. III. 5. v. 38. Cicero Topic. et pro Murena, et alii passim sexcenta exempla suppeditant. Sed ipse Cicero pro Sylla c. 3. scripserat: *Oneris mei partem nemini impertio, gloriam bonis omnibus.*

(1) *A . . . . . .* Verbum praeter eam literam ceterum plane deletum est. Legerem tamen *arbitrio*, quod loco plane, et sententiae congruit. Phaedrus autem ad rem fere similem scripserat fab. 18. lib. III. v. 10.

Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae.

(2) *. a . . r .* Legerem *Natura*. Vis enim et ordo literarum superstitum, et locus deficientium id unum probant. Sententia vero, ni fallor, aptissime argumento convenit. Nam nil fere frequentius penes Philosophos et Poetas occurrit, quam omnia parente *Natura* progenita atque edita fuisse. Sic Lucretius lib. I. de nat. rerum v. 623, et passim toto opere: Sic Cicero Parad. I. Tusculan. Quaest. lib. I. c. 118. Plinius Secundus lib. II. Hist. natur. c. 1. XXVII. c. 13. XXXI. c. 1. Virgilius I. Georg. v. 61. et II. v. 20. et alii plures. Verum quidem est patere ex sequentibus Iovem haberi ab Auctore nostro humani generis conditorem: Id tamen lectioni nostrae non obstat. *Natura* enim est vocabulum maxime πολυτροπον, atque etiam apud Vetetes ita significatione varium, ut molestum sit singula percensere. Saepe vero pro ipso Deo Opt. Max. sumtum est, quemadmodum a Plinio lib. I. Hist. nat. c. 7. Cicerone lib. I. de nat. Deor. c. 8. lib. II. c. 22. et 32.

Man-

Na.....(4) nobis attribuiſſet commoda
Q.....que (5) Fortuna indulgens (6) animali dedit (7):
El

Manilio lib. I. Aſtron. v. 82. 103. 113. Ovidio I. Metam. v. 21. Seneca de Benefic. lib. IV. c. 7. Quaeſt. nat. lib. II. c. 47. et aliis quoque. Iſte autem Deus *Iupiter* Latinis dicebatur, et ea de re idem praeſertim Seneca Quaeſt. natur. lib. II. c. 45. multa ac egregia diſſerit.

(2) *F.....ſſet*. Legi poteſt vel *finxiſſet* vel *formaſſet*. Utrumque enim fragmentis et loco congruit, necnon ad rem facit. Primum tamen praeferrem tum quia nonnulla veſtigia illud potius innuunt, tum quod ad eam ſententiam frequentius, ſi memini, a Scriptoribus uſurpatur. Cicero pro Murena c. 29. Natura *te* finxit *ad honeſtatem*: Salluſtius Bell. Catilin. c. 1. *Quae* Natura *prona atque ventri obedientia* finxit: Et plures ſimilia.

(4) *Na*..... Reponerem *nam cetera*, vel *nam cuncta*, quum utraque congruant. Sed ex quibusdam veſtigiis hoc potius tenerem, quod revera videtur melius ad rem: Cicero de Orator. c. 44. *Non* omnia quaecumque *loquimur mihi videntur ad artem, et ad praecepta eſſe revocanda*. Oration. III. de Leg. Agrar. c. 5. Omnia quaecumque *ille feciſſet eſſent nota*.

(5) *Q*.....*que*. Nempe, ut omnino exploratum videtur, *quaecumque*.

(6) *Fortuna indulgens*. Haec eſt clara et perſpicua Codicis lectio. Sed, quid hic Fortuna, quis inquiet? Quomodo ad brutorum animantium formationem arceſſitur, ſi omnium pareus Natura, et Iupiter homines finxiſſe paullo inferius dicitur? Philoſophi porro et Poetae ſive originem aliquam animantibus adſtruerent, ut Plato in Timaeo, Euripides in Menalippe apud Diodorum Siculum lib. I. Biblioth. c. 7. et Euſebium Praepar. Evang. lib. I. c. 4. Lucretius lib. V. de Nat. rerum v. 778. Horatius I. Satyr. 3. v. 99. Virgilius II. Georg. v. 340. Ovidius. I. Metam. v. 74.; ſive ea aeterna cum Mundo autumarent, ut Pythagoras, Critolaus, Dicaearchus ex ſententia Varronis lib. II. de R.R. c. 2., et Cenſorini de Die natal. c. 4., Ariſtoteles lib. I. de Coelo, Ocellus Lucanus de nat. univerſi c. 3., vulgo arbitrati ſunt omne animans et rationale et brutum ab uno veluti ſinu, et parente genitum et eductum fuiſſe. Ita quidem: Verumtamen nihil inde adverſus lectionis auctoritatem deduci poteſt. Veteres enim de rerum atque animantium ortu et origine in tam varias et diſcrepantes, tam obſcuras et incertas opiniones abierunt, ut vix eae numerari, et plerumque intelli-

El..ha...vires (8), *et Leonis impetum*,

C.

telligi nullo pacto queant. Ariſtoteles, Cicero, Manilius, Plutarchus, Diogenes Laertius, Sextus Empiricus, Stoboeus, Lactantius vel in eis exponendis et referendis ſaepe diſcrepant ac pugnant. Quamobrem minime mirum eſſet, ſi Auctor noſter in re tam ambigua et involuta opinionem haud vulgarem, vel minus perſpicuam ſequi videretur. Quod ſi multi ex turbido Chao animantia producta fuiſſe prodiderunt, ut Orpheus Argonaut. v. 399. et hymn. in Ocean. Euripides in Menalippe cit. Ariſtophanes in Avibus v. 610, aliique plures: Si plerique ex bruta tellure, ut Archelaus Mileſius docuit, teſte Diogene Laertio in Vita, et Phoenicii, Aegyptii, aliique populi tenere viſi ſunt, ut ex fragmentis Sanchuniatonis apud Euſebium Praep. Evang. lib. I. c. 7., et Diodoro Siculo loc. cit. patet: Si alii animantia irrationalia ab Epimetheo Promethei fratre ficta putarunt, quidni Auctor noſter eorum formationem *Fortunae* tribuere potuit? Fortuna autem Graecis et Romanis Dearum maxima et rerum domina habebatur. A Pindaro in Olymp. Ode XII. Strophe I. dicitur Iovis filia; in veteri Inſcriptione apud Gruterum p. LXXII. coli dicitur proxima Iovi Tarpeio: a Virgilio lib. VIII. Aen. v. 334. *omnipotens* appellatur, quod ſingillatim obſervarunt Lactantius lib. III. div. Inſtit. c. 29. et Macrobius lib. V. Saturn. c. 16. et Petronio Arbitro tandem in tentam. Bell. Civil. v. 89. *rerum humanarum, divinarumque poteſtas*. Quot autem nomina, quot templa, quem cultum habuerit, ſatis ſuperque conſtat ex Orpheo in Hymn. ex Pauſania in Meſſeniac. et Boeotic. Plutarcho de Fort. Roman., et in Probl. Rom. Horatio lib. I. Carm. Od. 35. Plinio lib. II. Hiſt. nat. c. 7. Ovidio IV. Faſtor. v. 145. S. Auguſtino VI. de Civit. Dei c. 18., atque ex Inſcriptionib. apud Gruterum et Muratorium; et ſi qua alia quis cupit abunde ſuppeditabit vir eruditiſſimus Clemens Biagius I. Diſſert. ad Monum. Graeca ex Muſaeo Naniano. Fortuna igitur nec abſurde nec indecore ad animantium formationem accerſiri potuit. Quin fuerunt revera Philoſophi qui id iam pridem fecerunt. Praeter Epicureos, alioſque multos, de quibus Plato meminit lib. X. de legib. praeter Stratonem Lampſacenum, de quo copioſe egerunt Philippus Schloſſerus in diſſert. de Stratone et eius Philoſoph. Radulphus Cudworthus in Syſtem. intellect. c. 3. §. 4. necnon Laurentius Moshemius notis in Syſtem. alii plures qui de Deo recte ſentire viſi ſunt *Fortunam*, τύχην Graecis, rerum opificio prae-

C. rpus .. aevum (9), *gloriam Tauri trucis, Equi*

praepoſuerunt, et quod etiam obſervandum, *Naturae φυσει* ſociam dederunt. Fuit inter hos Pythagoras, ut Anonymus eius vitae auctor refert; fuit Plato, ut luculenter evincunt quae IV. lib. de legib. diſſerit; fuit tandem Ariſtoteles, qui multus de eâ re eſt lib. II. Phyſicor. c. 2., et ſeqq. Quin vero Auctoris noſtri opinio et rectior et clarior apparebit, ſi ex Sapientiorum Philoſophiâ repetamus. Hi enim Fortunam, Naturam, et Deum unum idemque eſſe praedicabant, atque unius rei nomina. Id docebant Stoici, quemadmodum recte obſervavit Ger. Voſſius de Orig. Idolol. lib. II. c. 43. S. Auguſtinus IV. de Civit. Dei c. 11. *Fortunam* barbatam fuiſſe *Iovem* Romanis ſcribit; et Lactantius Firmianus vir Philoſophiae veteris callentiſſimus: *Verum Philoſophi*, ait, *Fortunam Deum eſſe dicunt, eumdem tamen interdum* Naturam, *interdum* Fortunam *vocant*: Atque ex iſta perſuaſione factum videtur, ut in MSS. Codicibus alterum verbum in alterum non raro tranſierit, quemadmodum Vir doctiſſimus Petrus Burmannus Comm. novo in Phaedrum fab. 15. lib. III. v. 17. et Lud. Carrio Antiqu. Lect. I. c. 15. obſervant. Haec autem vera fuit Auctoris noſtri ſententia, ut ex totius fabellae ratione, et ex iis quae ſuperius diximus abunde, ut arbitror, patet: neque hic Deum Fortunam appellavit, niſi ut egregia illa et ſublimis retractatio maius pondus haberet et luculentius appareret. *Natura* enim quae hominibus negaſſet, quae abunde largiri animalibus viſa fuiſſet, vocabulo aliquantum invidioſo notanda erat, et *Fortuna* quidem temere et imprudenter agere dicebatur. Sic graecus Sinon apud Virgilium ſe non a *Natura* vel *Deo*, ſed a *Fortuna* fictum dicit lib. II. Aen. v. 79.

. . . . *Nec ſi miſerum Fortuna Sinonem*
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

(7) Verſiculus eſt ſyllabâ longior: Ideo ſcriberem

Quaecumque indulgens Fortuna animali dedit.

vel etiam

Quaeque Fortuna indulgens etc.

(8) *El . . ba . . . . vires*. Scilicet *Elephantis vires*, quod certum eſt. Fragmenta enim. locus, ſententia id unice poſtulant.

(9) *C. rpus .. aevum*. Nempe *corpus in aevum*, vel *ad aevum* quum utraque particula loco congruat. Sed iſta lectio exploiata quidem videtur, haud tamen recta et genuina. Nam primum, ſi trochaeum habet, rationem carminis invertit, ſi dactylum, verſiculum breviorem facit. Non negaverim vitio occurri poſſe ſcribendo: *In aevum corpus*. Sed quid haec tandem ſibi vo-

Equ . v . . . cis (10) placidam manſuetudinem,
Et adeſſet homini ſua tamen ſolertia .

Ni-

volunt, quae ſyntaxis, quae verborum proprietas? Quomodo Auctor ſibi conſtat? Propoſuerat enim quasdam dotes, quae hominibus deeſſent, a brutis animantibus veluti mutuatas enumerare. Longe ergo rectius legi poſſet *Phoenicis aevum*, quod metrum, et propoſitum ſervat. Nam quum hoc loco requiri videatur animal maxime longaevum nullum certe Phoenice vivacius Veteres extitiſſe putarunt. Herodotus in Euterpe, Pomponius Mela lib. III. de ſitu Orb. c. 4. Ovidius Metam. XV. v. 391. Seneca Epiſt. XLII, Aelianus lib. VI. de Hiſtor. animal. c. 58. Philoſtratus in vita Apoll. lib. II. Horus Apollo lib. I. Hieroglyph. c. 34. Aurelius Victor de Caeſarib. in Claud. et in Epitom. aetatem eius ad annos quingentos producunt; quin Solinus in Polyhiſt. c. 36. ad quingentos quadraginta; Plinius lib. X. hiſt. nat. c. 2. ad ſexcentos ſexaginta; Martialis lib. V. Epigr. 7, Claudianus de Phoenic. v. 27. Lactantius de eod. v. 59. ad annos mille: Tum multi apud Tacitum Annal. VI. c. 28. ad mille quadringentos ſexaginta, Ioanues Tzetzes Chil. V. ad ſeptem milllia, Heſiodus tandem apud Plutarchum de defectu Oracul. et Auſonius Idyll. X. ex eodem Heſiodo ad neſcio quot annorum myriadas ſingularis avis vitam dilatant. Ex quo factum eſt ut Phoenicis longaevitas in commune adagium et in proverbium abierit. V. Eraſmum Chil. II. Cent. I. 57. Quamobrem videretur neque temere neque inopportune, ſpectatâ quoque Codicis conditione, eam vocem in verſiculum poſſe recipi. Ita profecto eſt; verum re maturius perpensâ ego potius legerem *Cornicis aevum*. Primum quia propius ad Codicis lectionem accedit, quod in huiuſmodi diſquiſitionibus magni ponderis graviſque momenti eſt. Praeterea minime veriſimile eſt Auctorem noſtrum in tam gravi et luculenta re, exemplum arceſſere voluiſſe a fabuloſo prorſus animali, quod purum putumque Aegyptium Hieroglyphicum fuit, et nuda pictura ſymbolica. Vid. Deuſingium in Diſſert. de Phoenic. Kirchmaierum Diſputat. Zoolog. Ab. Pluche Hiſtoir. du Ciel Liv. II. Chap. 2. §. 25. Non inficior quidem multos ex Veteribus ita de Phoenice locutos, perinde ac veriſſime extitiſſet; ſed prudentiores plerique omnes vel vulgata de eo riſerunt, vel graviſſime dubitarunt. Ariſtoteles, Strabo, Diodorus Siculus ſubacti iudicii viri ne obiter quidem commentum adtingunt, alii apud Tacitum loc. cit. nullam fi-

dem

Nimirum in Coelo ſecum ridet Iupiter,
Haec qui (11) *negavit magno conſilio hominibus* (12), *Ne*

dem fabulae adhibent: Ipſe Tacitus, Herodotus, Plinius ambigunt: Ceteri plerumque addunt verba *aiunt*, *ferunt*, et ſimilia. Auctorem autem noſtrum nemo ullus gravis et excellentis iudicii virum non dixerit. Sed *Cornix* veraciſſimum animal eſt, et notiſſimum, aeque ac Elephas, Leo, Equus, qui ab Auctore in fabella inducuntur, atque habita ſemper eſt penes univerſos ut avis maxime vivax, quemadmodum ex Plutarcho in Gryllo et Sympoſ. IV. quaeſt. I. ex Lucretio lib. V. v. 1084, Horatio III. Carm. Od. 17. v. 13. Martiali lib. X. Epig. 67. ipſo Auctore noſtro fab. XXV. v. 7., aliiſque pluribus abunde patet. Quin etiam de eius longaevitate adagium invaluit, quod Eraſmus refert Chil. I. Cent. 6. §. 63. Et Cornici quidem Ariſtophanes in Avib. v. 610. quinque hominum aetates attribuit: Bene vero novem Heſiodus apud Plutarchum loc. primum cit. Auſonius Idyll. X. Plinius lib. VIII. Hiſt. nat. c. 48. Aratus in Phaenom. Ovidius VII. Metam. v. 274. et Amor. II. Eleg. 6. v. 35. Iuvenalis Satyr. X. v. 247. aliique. Tandem Porphyrion Horatii Interpres ad hunc loc. ad annos mille alitis vitam producit. Haec autem, ni fallor, ſatis commode lectionem propoſitam probant.

(10) *Equ. v ... cis*. Nempe *equi velocis*. Nam omnibus inſpectis id unice tenendum videtur. Nec lectionis fides ullo pacto infirmatur, quod *placida manſuetudo* tribuatur *equo*, quem recte Virgilius IV. Aen. v. 157. et Ovidius III. Metam. v. 704. *acrem* vocant: tum ille I. Aen. v. 472, et Manilius IV. Aſtrom. v. 232. *ardentem*, Ovidius autem iterum I. Amor. Eleg. 2. v. 15., et Statius IV. Silv. Carm. 4. v. 69. *aſperum* appellant. Iſtae enim firmant eam magis et iuvant. Hoc enim loco *manſuetudo* non eſt ea animalis dos, qua labores, flagellum, verbera tacite fert et patienter, qua irâ minime exardeſcit, nec praeceps in adverſa et obſtantia ruit: ſed ea potius proprietas eſt, qua facile ſe uſui praebet, facile ad manum accedit, facile regitur atque inſtruitur. Et haec quidem prima fuit et germana vocis poteſtas. Nam *manſuetus* eſt omnino *manu ſuetus*, qui ſcilicet *manu tractari* ſe ſinit, et, ut elegauter Virgilius VII. Aen. v. 490. ait *manum patiens* eſt, ideoque proprie *fero* atque *indomito* opponitur. Sic Plautus Aſinar. I. 2. v. 19. *Reddam ego te ex ferâ fame manſuetem*. Cicero de Invent. lib. II. *Deinde propter rationem, atque orationem ſtudioſius audientes ex feris et immanibus mites reddidit et manſuetos*. Haec autem

Ne ſceptrum Mundi raperet noſtra audacia.
Ergo contenti munere invicti Iovis,
Fatalis annos decurramus temporis,
Nec plus conemur quam ſinit mortalitas.

FABULA III. num. 7.

MERCURIUS ET DUAE MULIERES.

De eodem alia Fabella.

Mercurium hoſpitio mulieres duae (1)
Illiberali et ſordido receperant:

Qua-

tem dos cui magis exanimantibus brutis inſit, quam *equo* nequaquam video. Nam nullum apparet, quod ea corporis vi, ea alacritate, et ſolertiâ tam facile et lubenter homini docile et obediens fiat.

(11) *Qui*. Ita plane in Codice, et quidem non male. Ego tamen neſcio an rectius legi poſſit *quia*. Tum enim egregia adeſſet ratio et cauſſa, qua merito Iupiter hominum imprudentem audaciam rideret.

(12) Hic verſiculus in quinta ſede habet proceleusmaticum pedem, ſed exploratum eſt eo metrum Iambici Carminis non corrumpi. Phaedrus non ſemel uſurpat, ut fab. 2. lib. III. v. 4, fab. 15. v. 12. fab. 10. lib. IV. v. 3. fab. 23. v. 17. Publius Syrus in Sententt. v. 35. ad 42. et ipſe Seneca qui iambos elaboratiores conſcripſit, ut in Agamemn. v. 280. etc. Et quidem iure. Lex enim carminis eſt, ut in eo recipiantur quotquot pedes eamdem ſyllabarum quantitatem habent ac ſpondaeus. Inter hos autem, ut pueri norunt, proceleusmaticus eſt.

(1) In hoc verſiculo integer pes deſideratur, nec quia aliquod verbum humore aliove caſu exciderit, ſed quod ſcriptum non fuerit. Sententia tamen egregie conſtat, ideoque arbitrarer iacturam facillime reparari poſſe, ſi particula *quondam* vel *olim* recipiatur. Huiuſmodi enim voces, ſin minus in fabellis prorſus requiruntur, pulchrè tàmen atque eleganter in eis collocantur. Ex duabus autem

Quarum una in cunis parvum habebat filium,
Quaeſtus placebat alteri meretricius.
Ergo ut referret gratiam officiis par .. (2),
Abiturus, et iam limen excedens, ait:
Deum videtis, tribuam vobis protinus,
Quod quaeque optârit. Mater ſupplicat, ro.... (3)
Bar-

tem primam praeferrem, ea praeſertim de cauſſa, quod ſequens fabella iterum habeat *olim*, et propterea ſcriberem: *Mercurium quondam boſpitio*: vel *Mercurium boſpitio quondam*. Phaedrus quidem fab. 6. lib. I. v. 3. *Uxorem quondam Sol.* etc. fab. 25. lib. IV. v. 33. *Ego quondam legi*: Tum fab. 28. lib. I. v. 3.

Vulpinos catulos Aquila quondam ſuſtulit.

Scribi etiam poſſet *mulieres quondam duae*, ſed tum ſententia ambigua fieret: perinde ac mulieres *quondam* quidem duae, deinceps vero maiore vel minore numero extitiſſent.

(2) *Par* .. Lego *parem*, ut colligere pronum eſt. Fragmentum, ſententia, metrum id tantummodo poſtulant. Salluſtius in Bel. Iugurth. c. 109. *In quo offenſae minimum*, gratia par, *ac ſi prope adeſſemus.* Et Phaedrus fab. 2. lib. III. v. 1. *Solet a deſpectis* par referri gratia.

(3) *Ro*.... Scriberem *rogans*, quod ſatis, ni fallor, illud fragmentum innuit, et metrum verſiculi probat. Neque obſtat ro *ſupplicat* proxime praecedere: Hoc enim verbum abſolute interdum a probatis Scriptoribus uſurpatur. Plautus Curcul. IV. 2. v. 41. *Volo hic in fano ſupplicare.* Cicero Parad. V. c. 3. *Noctu venire domum... precari, ſupplicare.* Praeterea *ſupplicare* vi et poteſtate ſua non eſt *orare*, *precari*, *obſecrare*; verum *plicare* ſe *ſub*, *plicare manus*, *genua*, *curvare* corpus, et ſe *proſternere*; nec ſignificavit *orare* et *rogare*, niſi quod orantes, et rogantes hac plerumque corporis poſitura ſe collocarent, unde etiam et *ſupplices* dicti. Quamobrem dici iure poteſt, Auctorem verbum uſurpaſſe primâ et propriâ ſignificatione, perinde ac dixiſſet: Mater in ſupplicis actum ſe collocat, ante Deum ſe incurvat. Tandem etſi quis contenderet hîc *ſupplicare* eſſe omnino *precari*, *orare* haud pertinaciter repugnarem. Id enim neque ſententiam, neque ſyntaxim corrumpit. Et re quidem vera haec ad rem plane noſtram ſcripſit elegantiſſimus Phaedrus fab. 19. lib. I. v. 6.:

Preces admovit, tempus exorans breve,

Dum

Barbatum ut videat natum quamprimum ſuum,
Moecha ut ſequatur ſeſe quidquid tetig....(4).
Volat Mercurius, intro redeunt mulieres.
Barbatus infans ecce vagitus ciet:
Id quum forte meretrix ridet validius (5),

Dum firmiores poſſet catulos ducere.

ubi animadvertendum eſt *exorare* non eſſe *impetrari*, *obtinere*, ſed *vehementer orare*, et *expoſtulare*, quod ſententia per ſe clare indicat, et doctiſſimi Interpretes Gaſpar Barthius, XVII. Adverſar. c. 23., Ludovicus Praſchius in notis, aliique plures graviter confirmarunt.

(4) *Tetig* .... ſcilicet *tetigerit*, quod perſpicuum eſt.

(5) Verſiculus eſt ſillabâ truncus, nec ceterum probato metro inſtructus; quamobrem dubitari nequit, quin aliquo vitio laboret. Metrum recte procederet, ſi *meretrix* mediam produceret, et ſcriberetur:

Id forte quum meretrix ridet validius.

Attamen ego vereor ne iure id, et tuto fieri poſſit. Quamvis enim tum latinae linguae analogiâ, tum auctoritate nonnullorum Doctorum, qui de vocis quantitate egerunt media eius ſyllaba anceps videatur, Scriptores tamen, ſi memini, nunquam produxerunt, ideoque teneo iure praecepiſſe Philippum Labbeum in Indice emend. pronunt. eam perpetuo eſſe corripiendam. Melius porro metri vitio occurreretur, ſi levi immutatione loco *id* ſcribatur *ideo*, vel *ob id*: ſcilicet verſiculus eſſet:

Ideo quum forte meretrix ridet validius,

vel etiam *ob id quum* etc. Sed haec recipi, mea ſententia, nequeunt, quum ſenſus per ea corrumpatur. Nam aliud eſt *ridere id*, aliud *ridere ob id*, vel *ideo ridere*, et Auctor, quum poſtremo verſiculo ſcripſiſſet:

Et alium ridens, ipſa ridenda extitit.

luculenter oſtendit ſuperius ſcriptum fuiſſe *id* non *ideo* etc. Neque obſtat *to validius* indicare hic *ridere* minus eſſe *illudere* et *deridere*, quam *riſus tollere* et *cachinnos edere*. Nam *ridere* cum accuſativo utramque ſignificationem in ſe eleganter complectitur; et ut *irridere aliquem* eſt amaro et ſimulato riſu illudere, ſic *ridere* eſt germano et naturali riſu proſequi. Quamobrem ex proprietate Petronius Arbiter c. 61. Satur. dixit: *Satius eſt rideri, quam deridere*. Cicero autem ad Q. Fratrem II. Epiſt. 13. *Riſi niveni atrum, teque hilari animo eſſe, et pronto ad iocandum valde me iuvat*. Tacitus de morib. German. c. 19. *Nemo illic* vitia ridet,

N . . . . reple . . . humor (6), *ut fieri ſolet:*
E . . ngere . g . . . . ſ . . . . . ns . . . ndit manu, (7)

Tra-

ridet, *nec corrumpere et corrumpi ſeculum vocatur*. Ego igitur *το ridet* potius in *rideret* producerem, quae leviſſima emendatio eſt, et ſententiâ ſervatâ, metrum reſtituerem ſcribens:

Id forte meretrix quum rideret validius.

vel potius retinens ipſum

Id quum forte meretrix rideret validius.

Sintaxis porro recta eſt, et quum in ſequenti verſiculo legendum dubio procul videatur *repievit*, et hoc *rideret* potius, quam *ridet* ſuſcipiat, eam lectionem haud temere quis tamquam veriſimillimam ſaltem, ut arbitror, tenere poteſt.

(6) *N . . . . reple . . . humor*. Legerem *nares replevit humor*, quae explorata videntur. Primum enim verbum loco et fragmento aptiſſime congruit, veſtigiis commode indicatur, et de naribus agi, quae ſequuntur evidentiſſime produnt. *Naſum* veſtigia non addicunt. Alterum vero verbum ex fragmento, ex numero deficientium literarum, ſyntaxi, et ſententia nullo negotio colligitur.

(7) *E . . ngere . g . . . . ſ . . . . . ns . . . ndit manu*. Haec omnia ſunt verſiculi fragmenta, ex quibus integra lectio haud facile et expedite reſtituitur. Putatem tamen haud abſurde legi poſſe:

Ea tangens igitur ſe imprudens prendit manu.

nempe *naſum*. Ex iſtis autem *prendit* ut exploratum, *igitur* ut probabile, ſpectatis etiam veſtigiis commode haberi poſſunt, cetera vero ex unâ pendent coniecturâ. Sed *tangens* ideo non displiceret, quod plane reſponderet flagitationi mulieris, quae petierat, ut quaecumque tangeret eam ſubſequerentur, et apte hic verbum collocaretur, quod tota in eo argutia et fallacia poſita videatur. *Imprudens* vero abs re non eſt: Nam ſi meretrix quod futurum erat praevidiſſet, dubio procul volens prudenſque numquam ſe tetigiſſet. Haec igitur lectio ad ſententiam non male procedit; ſed fatendum eſt, ab illis fragmentis minime addicitur. Nam *tangens* ab *το ngere* diſcrepat, et locus deficientium literarum non apte capit *imprudens*. Quamobrem, quum ratio poſtulet haerendum eſſe quam proxime Codicis lectioni, ubi ea evidenter corrupta non deprehendatur, ego propterea mallem legere:

Emungere igitur ſe volens prendit manu.

quae locis ſuis tam apte congruunt, et ita fragmentis reſpondent, ut nihil aptius convenientiusque inveniri queat. Metrum vero probatum eſt, ſententia, ni fallor, eſt recta,

atque

Traxitque ad terram naſi . . . gitudinem (8).
Et al . . . ridens (9) *ipſa ridenda extitit.*

FABULA IV. num. 11.

PROMETHEUS ET DOLUS.

De Veritate et Mendacio.

Olim Prometheus ſeculi novi figulus (1),
Creta ſubtili Veritatem fecerat,

 Ut

atque egregie ad propoſitum faciet. *Emungere* autem abſolute, et, ut ita dicam κατ' ἐξοχην eſt *naſum detergere, pituitam exprimere ac tergere*, quemadmodum ex Auctore Rhetor. ad Herenn. lib. IV. c. 54. Svetonio in Vit. Horatii c. 2. Iuvenali Satyr. VI. v. 146, Martiali lib. VII. Epigr. 36. aliiſque abunde patet. Neque obſtat quod in Codice poſt E aliud elementum requiri videatur: Nam revera nullum ſcriptum fuit, quum initiales verſiculorum literae intervallo aequo ampliore a ceteris perpetuo diſſent. Praeterea etſi *volens* cum infinitivo verborum modo aegre copulatum occurrat, nemo tamen, ut arbitror, ſyntaxim huiuſmodi ut parum latinam damnare poterit. Ceterum haec ut reliqua omnia, ubi potiora adſint, ipſe primus reiicere non dubitarem.

(8) *Naſi . . . gitudinem*. Scilicet *Naſi longitudinem*, quod perſpicuum eſt. Simillimo plane modo Phaedrus fab. 8. lib. I. v. 8. *Colli longitudinem* dixit . .

(9) *Al . . .* Nempe *alium*, quod etiam ipſa vocis veſtigia addicunt.

(1) *Seculi novi figulus*. Ita quidem in Codice, et prorſus clare: Legerem tamen *ſeculi figulus novi*, ne in quinta ſede offendatur amphibrachus, quem politiores iambi reiiciunt. Ceterum vero lectio genuina et probata eſt, quamvis loquendi modus inſolentior videatur, atque abſtruſa et obſcura ſententia. Et re quidem vera ne quis facile, ut fieri ſolet, eam temere cavilletur, ac damnet, animadvertendum eſt *ſeculum* ibi haud eſſe aetatem, aevum, certumque temporis ſpatium. Vox enim iſtâ poteſtate uſurpata nullam vel omnino inficetam et ineptam reapſe ſen-

ten-

tentiam habere videtur, nec quid *aetas nova*, quid *figulus novi aevi* valeat intelligi perſpicue poteſt. Quod ſi Prometheus Iovis aetate vixit, quae argentea, et altera ab aurea fuit, quemadmodum Heſiodus in Oper. et Dieb. v. 127. et Ovidius I. Metam. v. 89. tradiderunt, ea vero numquam *nova* κατ' ἐξοχὴν dicta eſt, nec dici quidem poterat, quum aenea, et ferrea ſtatim e veſtigio ſubſecutae fuerint, quae potius prae eâ novae dicendae fuiſſent. Sed *ſaeculum novum* in fabellâ omnino eſt novum animantium genus, nova progenies, nova ſoboles, et quidem hominum. Tota enim, ut ita dicam, Vetuſtas tradidit Prometheum humanum genus condidiſſe, et ira profecto, ut figulus figna e luto fingit. Teſtes rei ſunt Callimachus apud Clementem Alexandr. lib. V. Stromat. p. 255. edit. Sylburg. Lucianus in Prometh. Pauſanias libr. X. ſeu Phocaic. c. 4. Themiſtius Orat. XXVI. Horatius III. Carm. Od. 6. v. 17. Propertius III. Eleg. 3. v. 29. Statius Thebaid. XI. v. 468. Martialis IX. Epigr. 46. et X. Epig. 39. Iuvenalis Satyr. XIV. v. 35. Claudianus II. in Eutrop. v. 490. Servius ad Virgil. Aen. I. v. 742. et alii plures. *Seculum* autem in generis et ſobolis poteſtate rite rectèque uſurpatur. Nam praeter vocis etymon, quod ſatis perſpicue id indicat, quemadmodum alibi commodius obſervabimus, Lucretius Carus ad hanc fere unam ſententiam in univerſo opere ſuo ſumit, et tum *muliebre ſeclum* lib. V. v. 1020, *hominum ſecla* lib. I. v. 468. V. v. 340. *ſecla ferarum* lib. II. v. 994. 1095. *ſerpentia ſecla* lib. VI. v. 766. *bucera ſecla* lib. VI. v. 1240. ſcribit, ſed etiam κατ' ἐξοχὴν *ſecla* pro generatione et ſobole lib. II. 173. 1078. V. 848. etc. uſurpat. *Novum* vero dici potuit huiusmodi *ſeculum*, quod numquam adhuc ſuper Tellure apparuiſſet, quum ea dicamus *nova*, quae iam primum fiunt, et Prometheus primos omnino homines finxiſſe fabulati Veteres fuerint, ut ex adductis Scriptoribus patet. Atque obſervatu dignum eſt Lucianum cit. loc. de ipſo Promethei opificio loquens haec verba adhibere, nempe κατασκευάζομαι et νεουργίζω, quae *novum* illud continent et exprimunt. Praeterea *ſeculum hominum* ea etiam de cauſſa dici potuit *novum*, quod iam ante ipſum tum cetera *ſecla ferarum*, ut Lucretii verbis utar, omnia ſcilicet bruta animantia, tum Dii minores conditi genitive crederentur. Vereris enim Coſmogoniae traditio fuit, hominem poſtremo loco progenitum, quemadmodum ex Ovidio conſtat, qui Deos illos I. Metam. v. 73. *Deorum formas*

ap-

Subito accerſitus nuntio (1) magni Iovis,

appellat, ex Heſiodi Theogon. ex Luciano loc. cit. Maximo Tyrio Diſſert. I. Seneca apud Lactantium lib. I. Divin. Inſtitut. c. 5. Oppiano de Piſcation. V. v. 7. et aliis pluribus.

Haec fortaſſe nonnulli probabunt, quum potiſſimum in Fabellis et Apologis haudquaquam omnia ad Philoſophorum normam exigenda plane videantur. Neſcio tamen an alia potius arrideat interpretatio. Videretur enim *ſeculum* abſolute in verſiculo ſumi pro hominum genere, quemadmodum Lucretius fecit lib. VI. v. 722. et 1107. nec non, ut doctiſſimi quidam Viri arbitrantur, Catullus Carm. XLIII. v. 8. Horatius I. Carm. Od. 16. v. 13. et Virgilius Georg. I. v. 468. Tum *novum* dici non cauſſa et ratione ſeclorum brutorum vel Deorum minorum, ſed eiusdem hominum generis, quod iam Iupiter vel Natura condidiſſet: Ita ut *novum ſeculum*, alia eſſet hominum propago, quae a prioribus hominibus non penderet. Quum enim Auctor, noſter tam luculenter et graviter Fabellâ II. hominum formationem Iovi adtribuiſſet, quem in iſtâ *magnum* vocat, fieri non poſſe videtur, ut idipſum modo Prometheo adſtruat. Neque utrique opinioni obſtat illa Veterum conſenſio, qua primos plane homines a Prometheo fictos traditur. Nam alii ex Natura parente, ut diximus: alii, ex Chao, alii ex Tellure, ut cetera animantia eduxerunt. Quin longe plures et prudentiores ipſum Iovem, quod Auctor fecit, humani generis conditorem aſſeruerunt, inter quos, praeter Philoſophos Poetae etiam fuerunt, ut Ovidius I. Metam. v. 79. Manilius lib. IV. Aſtron. v. 882. Silius Italicus lib. XV. Punic. v. 89. Plautus Poenul. IV. 4. v. 14. Iuvenalis Satyr. XV. v. 148. Et quum Homerus Iliad. A v. 544. Δ. v. 426. etc. Heſiodus Theog. v. 542. 643. 838. etc. Ennius apud Varronem lib. IV. de L. L. Ovidius II. Faſtor. v. 132. et alii *Iovem hominum patrem* praedicarunt, nec non Virgilius Aen. I. v. 254. XI. v. 725, et Phaedrus fab. 17. lib III. v. 10. *Satyrem* ex eadem plane ſententia locuti ſunt, quod ſingillatim de Homero obſervarunt Ariſtoteles lib. I. de Republ. c. 12. Diodorus Siculus lib. 1. Biblioth. Proclus Comment in Timaeum Platon. et Auctor Anonymus vitae Homeri inter Mythographos a Thoma Gale editos. Praeterea quum officinae, fornacis, diſcipuli Auctor meminit, iis, ut puto, non oſtendit ſe habere Prometheum, ut totius humani generis Conditorem, ſed potius ut artificem, qui ſigna ſua ſenſu praedita et viventia fingere poſſet, quibus

bus nova hominum propago conſtitueretur. Neque vero huiuſmodi opinio inſolens eſt, et Veteribus inaudita. Iuvenalis quidem Satyr. VI. v. 11. haec habet:

Quippe aliter tunc orbe novo, coeloque recenti
Vivebant homines, qui rupto robore nati,
Compoſitive luto nullos habuere parentes

Praeterea Romanis ſane et Graecis homo Promethei vel luteus in adagium abiit et vulgare proverbium, V. Eraſmum Chil. II. Centur. X. n. 90. et Paullum Manutium Collect. p. 767. eoque vilia et humilia capita notabantur, perinde ac Prometheus ea una luto ſuo finxiſſet, quum cetera Naturam aut Iovem habuiſſent conditorem. Ita Symmachus ad Protadium ſcribens lib. IV. Epiſt. 33. *Patere igitur*, ait, *ut bonullus Prometbei manu factus mandare ceſſem papyro, quod dudum in vatum foliis non leguntur*. Cicero in Piſonem c. 25. *Quid ceſſat hic homulus ex argilla et luto fictus*, atque ad eamdem ſententiam Verrem *luteum* dixit. Tandem Phaedrus ita plane ad rem fab. 14. lib. IV. v. 1.

Idem Prometheus auctor vulgi fictilis,
Qui ſimul offendit ad fortunam frangitur.

Vulgus enim ex conſtantiſſimo Scriptorum uſu haud univerſum humanum genus notat, ſed eius tantummodo partem, et eam viliorem ac humiliorem ſignificat, quod neſcio quomodo adhuc Interpretes non obſervarunt. Neque ſi vox ad eam ſententiam ſumi aliquando poſſet, quod falſum omnino arbitror, verba Phaedri dubitare nos ſinerent, quin pro hominum ſaece *vulgus* uſurpaſſet. Nam erant adhuc tum magni Viri, quibus potius

Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum,

ut Virgilii verbis utar Aen. VIII. v. 334., cedere videretur. Certe ipſemet Phaedrus ita ſe infractum et impavidum in Fortunam iactat Epilog. lib. II. v. 18.

Fatale exitium corde durato feram
Donec Fortunam criminis pudeat ſui.

Quamobrem dici etiam poteſt *ſeculum novum* in fabella eſſe genus vile atque ignobile, quum etiam nemo neſciat *homines novos* κατ' ἐξοχήν fuiſſe homines obſcuros atque ignobilis generis. Certe quidem huiuſmodi interpretatio maxime firmatur hiſtoricis de Prometheo traditionibus, qui plebem Scytharum erudiit, atque ad humanitatem finxit; quod nullo negotio oſtenderemus, ni inſtituti noſtri ratio vetaret. Sed hac de re erit fortaſſe alibi commodior diſſerendi locus.

(2) *nuntio*. Ita vox in Codice

In diſciplinam nuper quem receperat:
Hic ſtudio accenſus, facie ſimulacrum pari,
Unâ ſtaturâ, ſimile et membris omnibus,

dice ſcripta eſt, minuſculâ ſcilicet priore literâ *n*, quod quidem ideo animadvertendum eſt, quia tum rem ipſam quae nuntiatur, tum eum qui nuntiat illa ſignificare poteſt. Id puerulis notum eſt, et Plautus ad rem Stich. II. 11.: *Mercurius, Iovis qui* Nuntius *perhibetur, numquam aeque Patri ſuo* nuntium *lepidum attulit, quam ego nunc meae herae nuntiabo*. Atqui non parum intereſt et ad ſententiam, et ad orthographiam, qua modo utimur, utrum iſto vel illo pacto vox uſurpetur. Equidem putarem *nuntium* rectius hoc loco ſumi pro eo quod nuntiatur, quam pro eo qui nuntiat. Ea enim poteſtate ſententia egregia eſt, et plane ad rem facit Prometheum accerſitum ad Magnum Iovem ex nuntio eius. Praeterea interpretationem probat proprietas vocis *accerſitus*. Tum enim aliquem accerſimus, quum non per nos ipſos, ſed per aliam perſonam, vel etiam per epiſtolas advocamus. Cicero ad Attic. I. Epiſt. 18. *Te expectamus, te deſiderabamus, te etiam accerſimus*. Nepos in Attic. c. 21. *Agrippam generum ad ſe accerſiri iuſſit*. Contra vero, ſi *nuntius magni Jovis* pro Mercurio ſumeretur, neque ſententia perſpicue, neque ipſa ſyntaxis recte, ni fallor, procederet.

(3) *Fallaci Dolo*. Ita ſcribendum eſt ex legibus orthographiae, qua utimur, non *dolo* minuſcula *d*, ad vitandam ambiguitatem. *Dolus* hic non eſt fraus et fallacia, non verſutia, et τεχνη δολιη, quam quidem Graeci Latinique ſcriptores uno ore Promeiheo tribuunt. V. Heſiodus Theog. v. 511. 529. 555. Oper. et Dieſ. v. 48. Aeſchylus in Prometh. v. 308. 477. etc. Horatius I. Carm. Od. 3. v. 28. II. Od. 18 v. 35. Sed *Dolus* perſonam gerit, atque eſt Promethei diſcipulus, quod ſane praecipuam elegantiam ac venuſtatem fabellae conciliat. Nemo vero neſcit quam lubenter frequenterque Poetae Diſcordiae, Invidiae, Pallori, Moerori, aliiſque huiuſmodi humani animi affectibus perſonam induant, exemploque eſſe poſſunt, quae Heſiodus in Scuto Hercul. v. 195. Virgilius Æneid. VI. v. 274. Seneca Hippol. v. 848. Silius Italicus XIII. Punic. v. 580. Statius Theb. II. v. 287. III. v. 424 Claudianus II. de laud. Stilicon. v. 872. in Rufin. v. 32. aliique plures uſurpant. Quod quidem non modo iure ſuo faciebant Poetae, ſed etiam ex vulgaris Mythologiae ratione, quâ quidquid in Mundo eſſet vel fingeretur Deus habebatur, aut Deum in eo

Ge-

Dum tempus habuit callidâ finxit manu.
Quod prope iam totum mire quum poſitum foret,
Lutum ad faciendos illi defecit pedes.
Redit (4) *Magiſter, quo feſtinante* (5) *Dolus*
Metu turbatus in ſuo ſedit loco.
Mirans Prometheus tantam ſimilitudinem,
Propriae vîderi voluit artis gloriam.
Igitur fornaci pariter duo ſigna intulit;
Quibus percoctis, atque infuſo ſpiritu,
Modeſto greſſu ſancta inceſſit Veritas;
At trunca ſpecies haeſit in veſtigio.
Tunc falſa imago atque operis furtivi labor
Mendacium appellatum eſt, quod ne ... (6).

Pe-

Geniumve ineſſe credebatur. Ipſum vero *dolum* etiam Valerius Flaccus lib. II, Argon. v. 204. ut perſonam expreſſit ſcribens:

Et Dolus, *et Rabies, et Lethi maior imago*
Viſa truces exſerta manus.

Et Plinius lib. XXXV. c. 11. refert Ariſtophontem pictorem tabulam feciſſe, qua exhibebantur Priamus, Helena, Credulitas, Ulyſſes, Deiphobus, et Dolus. Ibi quidem nonnulli legere malebant *Dolon*, qui fuit etiam Priami filius, ſed MSS. Codicum auctoritate, aliiſque argumentis legendum eſſe omnino *Dolus* Ioannes Harduinus in notis, et Stephanus Falconetus Oeuvres ſur les beaux arts Tom. VI. aliique luculenter oſtenderunt.

(4) *Redit*. Sic ſcriptum in Codice pro *redît*, ut puto, quod ſententia et ſyntaxis potius requirunt. Cetera ſane omnia verba in praeterito ſunt tempore uſurpata: Quamobrem ego mallem ſimplex *rediit*.

(5) *Quo feſtinante*. Legendum plane eſt *feſtinante quo*. Secus habetur trochaeus in quintâ, qui rationem carminis omnino corrumpit, ut ſaepius dictum eſt.

(6) *Ne*... Hîc ſcriptum fuiſſe videtur *neget* vel *negat*, quod etiam ex veſtigiis aliquo pacto colligitur. Verbum porro nec longius apparet, nec aliud habere, quo excipiatur.

(7) *F...le*. Legerem *facile*, quod cunctis ſpectatis teneri commode poteſt.

Pedes habere f. . . le (7) ipſe c. . ſ. n. . . (8).

FA-

(8) C. . *ſ. n. . .* Hoc loco nil ſatius legi poſſe viſum eſt, quam *conſentio*. Quapropter duo hi poſtremi verſiculi ad Codicis fidem reſtituti videntur, ſi legatur:

Mendacium appellatum eſt, quod neget
Pedes habere facile ipſe conſentio.

Sed propterea tamen ad veram ac genuinam lectionem adducti non ſunt. Etenim neque eorum ſententia recta eſt, neque iuſta ſyntaxis, et propterea videatur aliquem alium verſiculum excidiſſe, vel poſtremi partem non ad fabellam, ſed ad epimythium ſpectaſſe. Tum verſiculus ſuperior toto pede truncus eſt, ſi adhibeatur Echthlipſis, ut par eſt, et ſi quis concedere etiam vellet licere in paucis verbis eam ſemel et iterum reiicere, offendentur ſtatim omnes dipodiae integrae, quas probae notae verſiculi non agnoſcunt. Alter vero in quarta ſede trochaeum habet a quo vitiatur. Quomodo ergo ambo reſtituentur? Incoeptum arduum, cui me imparem fateor. Attamen addam hic tantummodo nonnulla quae experiri coniecturâ potui, non quod eis plane adquieſcam, ſed quia perſuaſum eſt per huiuſmodi tentamina ad veram aut veriſimillimam lectionem viam ſaepe ſtratam fuiſſe. Lectio igitur, quae metrum, et ſententiam haud prorſus abſurdam ſervans, lectioni Codicis quam proxime accederet videretur huiuſmodi:

Mendacium appellatum eſt;
quod negaverint (neget Deus) (fatum neget)
Pedes habere. Facile ipſe id conſentio.

Sed eam qui iure probare poſſit neſcio. Rectius forſaſſe ſcriberetur:

Mendacium appellatum eſt;
Quod negat modo
Pedes habere et ipſa hominum conſenſio.

Ubi *quod* non eſſet particula cauſſalis, ſed pronomen ipſum. Et animadvertendum ſane eſt totam fabellae ſolertiam in verbo *mendacium* ſitam eſſe, ut ut tandem hi verſiculi legendi ſint. *Mendacium* eſt a *menda*, quod exploratum eſt fieri a *minus*. Et Chariſius ſcribit *mendum* in ſignificatione *mendacii* recte et latine dici. Adeſt autem *menda* ubi aliquid ad integritatem deſideratur, ideoque mendae ſunt brachium brevius, pes decurtatus, et ſimilia, quae veluti ex inſtituto ſuo perſequitur Ovidius lib. II. de Art. v. 653. III. v. 261. Quamobrem priſcis Romanis *mendacium* fuit, quidquid veluti truncum, mutilum, et decurtatum appareret, et propterea fidem etiam, ingeniuni, carmen, orationem, quae ad normam exacta non eſſent, cum Graecis pariter, *claudicantia* dixerunt. Praeterea graviſſimi momenti eſt ad

hanc

FABULA V. num. 17.

AUCTOR.

Nihil diu occultum.

Simulata interdum vitia prosunt hominibus;
Sed tempore ipso tamen apparet veritas (*).

FA-

hanc rem veteres et recentes populos, quae falsa et parum vera visa fuerint ea non recte ambulare, non bene incedere, pedibus suis non consistere vulgato adagio praedicare. Quamobrem propositae lectionis sententia non male profecto procederet. Esset huiusmodi: Tum falsum simulacrum quod mendosum et pedibus carens esset, dictum est *mendacium*; *quod mendacium* etiam modo homines veluti otiginis et fati eius memores non habere aiunt pedes, quibus incedat. Sed pergamus. Si loco insuper personae a τῷ *nego* in primo versiculo probemus aliquam personam a *nequeo* factam, quae scribi in Codice potuit, vel in illam nullo negotio transire, legere non male possemus:

Mendacium appellatum est,
quod nequiverit
Pedes habere facile quèis consisteret.

Scilicet falsam imaginem eâ ratione nuncupatam fuisse *mendacium*, quod non potuerit habere pedes, super quos recta, et integra staret. Tandem nec incommodè, ut puto, reponeretur:

Mendacium appellatum est,
quod nequeat pedes
Habere, facile quibus et ipsa incederet.

Trunca nempe imago ideo appellata est mendacium, quod non potuerit habere pedes, quibus ipsa etiam, ut Veritas decenter incedebat, graderetur.

(*) Hi duo versiculi ad promythium vel epimythium alicuius fabellae pertinuisse videntur. Quae ea fuerit compertum plane non est; non male vero ad superiorem referri possunt.

FABULA VI. num. 18.

AUCTOR.

Senſum aeſtimandum eſſe non verba.

Ixion qui verſari . actat . . . o . . (1),

Vo-

(1) . *actat . . . o .* : Legerem *iactatur rota*, quod ex veſtigiis quoque tamquam certum haberi poteſt. Rota Ixionis univerſis fere Scriptoribus eſt celebrata, ut Virgilio III. Georg. v. 39., et IV. v. 484. Ovidio IV. Metam. v. 460., Tibullo III. Eleg. 3. v. 73. Claudiano de Raptu Proſerp. II. v. 335., Lampridio in Heliogab. c. 9., aliiſque pluribus, ita quidem ut in adagium ac proverbium abierit. Propterea tamen totum verſiculum probatum non haberem. Eâ enim verborum Syntaxi *iactatur* eſt *fertur*, *dicitur*, quod abs re eſt, quum eo pacto fides narrationi elevetur, et pretium fabellae concidat. Clare autem ex poſtremis verſiculis patet aliam ac adverſam fuiſſe Auctoris mentem, et quum in altero verſiculo *iactor* ſit *agitor*, *vexor*, *huc illuc impellor*, quae prima et genuina eſt vocis ſignificatio, nec non exploratum videatur comparationem quamdam et παραλληλον ſententiarum hic inſtitui, dubitari non poſſe videtur, quin *iactor* eadem poteſtate in primo verſiculo ſit ſumendum. Quamobrem ſatius legitur:

Ixion qui verſatus iactatur rota.

Sic Ovidius de eodem Ixione dixerat in Ibin. v. 128.

Quique agitur *rapidae* vectus *ab orbe rotae.*

et Seneca in Thyeſt. v. 8.

Aut membra celeri differens curſu rota.

Tum Plautus Ciſtell. II. 1. v. 4. Iactor, *crucior*, *agitor*, *ſtimulor*, *verſor in amoris rotâ miſer*. Quin quum *iactatur* adhuc ambiguae poteſtatis in verſiculo videatur, nec fortaſſe admodum eleganter ſcribatur *verſatus iactatur*, neſcio an ſatius ſit reponere:

Ixion qui verſatâ iactatur rotâ.

Certe Ovidius IV. Metam. v. 221 *verſatum fuſum* dixit, et I. Amor. Eleg. 2. v. 4. *verſatum corpus*, nec non Iuvenalis Satyr. XIII. v. 218. *verſata membra*. Tum Plautus Epid. III. 2. v. 35. *Verſutior es quam rota figularis.* Horatius I. Carm. Od. I. v. 5. *fervida rota*, de Arte v. 21. *currens*. Perſius Satyr. III. v. 23. *acris*: Seneca tandem iterum de Ixione in Hippol. v. 1231.

Haec incitatis *membra* turbinibus *ferat*
Numquam reſiſtens orbe revoluto *rota.*

Volubilem Fortunâ (2) *iactari docet.*
Adverſus altos Siſyphus montes ag...(3)
Saxum labore ſummo, quod de vertice,
Sudore ſemper irrito, revolvitur;
Oſtendit hominum ſine fine miſerias (4).

Quod

(2) *Volubilem Fortunâ.* Ita in Codice ſcriptum eſt, et, mea quidem ſententiâ, recte. *Volubilis* enim hic eſt homo *levis, mutabilis, inconſtans*, qui revera variis fortunae caſibus verſatur ac agitur. Praeterea Philoſophi et praeſertim Stoici, ex quorum placitis loqui Auctor videtur, nullam poteſtatem habere praedicabant Fortunam in Conſtantes, ſed in leves tantummodo. V. Senecam de Provid. c. 3. et 6. Macrobius tandem haec plane ad rem lib. I. in Somn. Scipion. c. 10. *Ex veterum*, ait, *Sapientum placitis . . . illos radiis* rotarum, *pendere diſtrictos, qui nihil conſilio praevidentes, nihil ratione moderantes, nihil virtutibus explicantes ſeque et actus ſuos omnes Fortunae permittentes caſibus et fortuitis ſemper rotantur.* Equidem fateor me nullum adhuc exemplum nactum, quo *volubilis* pro levi et inconſtanti homine abſolute uſurpetur, minime veto tamen propterea moveor, ut minus probatam Codicis lectionem exiſtimarem. Quamvis enim verum eſſet nullum exemplum ex Scriptoribus ſuperſtitibus ſuppeditari ad rem poſſe; qui Latinae linguae fines noverit, et quantulam eius partem ſervatam meminerit, nequaquam affirmare audebit, Romanos *volubilis* ad eam ſententiam numquam ſumſiſſe. Certe quidem in ſermone noſtro Patrio, Gallico, Hiſpano, qui ex Romano, ut pueri norunt, progeniti ſunt, ad eam ipſam ſententiam vox ſumitur. Quin etſi primus Auctor noſter id feciſſet habendae fuiſſent grates, quum

Sermonem Patrium ditaverit et nova rerum
Nomina protulerit. Horat. in Art. v. 58.

idque excellenti ſane et egregiâ analogiâ. Quod ſi Ciceroni II. de Divin. c. 6. *volubilitas Fortunae* eſt Fortunae inconſtantia, quidni *volubilis* inconſtans erit? Quod quidem ideo in Auctore noſtro probandum eſt magis, quia *volubilis* Ixioni comparatur, qui abſoluta proprietate *volvi* rotâ dicitur, ideoque vox non recta modo eſt, ſed ea, qua hic nec elegantior, ut puto, nec argutior collocari poterat.

(3) *Ag . . .* Nempe *agens*, quod recta ſyntaxis poſtulat.

(4) Huic verſiculo deeſt pes, vel ad minimum ſyllaba. Si loco *hominum* ſcriberetur *omnium* metrum quidem commode reſtitueretur, ſed quum ſententia

Quod ſtans in amne Tantalus medio ſi... (5), Ava-

tia magis etiam frigida evadat ac inficeta, aliae viae ſunt explorandae. Melius procederet res ſi addito τῷ *ullo* ſcribatur:

Oſtendit hominum ullo ſine fine miſerias,

vel ſi loco τῷ *miſerias* reponatur *miſeras vices*, legendo

Oſtendit hominum ſine fine miſeras vices.

Attamen ne iſto quidem pacto, ut ego arbitror, ad genuinam lectionem acceſſimus. Auctor enim certas poenas, certoſque homines in Tartaro cruciatos exhibens, certa etiam vitia, certumque hominum genus, ad quod ſingula ſpectarent, expreſſiſſe hoc loco videtur. Et re quidem vera in perſpicuo eſt eum in Ixione volubiles, in Tantalo avaros, in Belidibus luxurioſos, in Tityo potentes et divites notaſſe. Quamobrem quomodo in uno Siſypho omnes generatim homines, incertumque miſeriarum genus ſignificaſſet? Praeterea qui de Siſyphi poena egerunt ad certos homines eam retulerunt. Silius Italicus lib. XIII. Punic. v. 616. haec habet:

Tunc alius ſaevis religatur (in Tartaro) *rupe catenis*,
Aſt alius (Siſyphus) *ſubigit ſaxum, perque ardua montis*
Vipereo domat hunc aeterna Megaera flagello:
Talia lethiferis reſtant patienda Tyrannis.

Lactantius Placidus ad Statii Thebaid. IV. v. 537. *Siſyphi*, ait, *exemplo illi deſignantur, qui contemtâ verâ Philoſophiâ ad volvendum mundi onus crebro vertuntur*. Macrobius I. in Somn. c. 10. Dicuntur *ſaxum ingens volvere, ineffacibus laborioſiſque conatibus vitam terentes*. Lucretius tandem longe ceteris luculentius lib. III. v. 1008.

Siſyphus in vita quoque nobis ante oculos eſt;
Qui petere a populo faſces ſaevaſque ſecures
Imbibit, et ſemper victus triſtiſque recedit.
Nam petere imperium, quod non eſt, nec datur umquam,
Atque in eo ſemper durum ſuſferre laborem,
Hoc eſt adverſo nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen a ſummo iam vertice rurſum
Volvitur, et plani raptim petit aequora campi.

Quamobrem, quum ab Auctore etiam in Siſypho ſingulare hominum genus, et peculiare vitium notandum fuiſſe videatur, quum qui de Siſypho egerunt poteſtatis ac imperii adfectatores, atque ambitioſos homines in eo agnoverint; tum Lucretius non pauca habeat noſtris ſimilia; haud temere, ut arbitror, loco *hominum* legeretur *ambitus*, ſcilicet

Oſtendit ambitus ſine fine miſeras.

Quae lectio praeterquamquod rectum habet metrum et ſenten-

Avari deſcribuntur, quos circumfluit
Uſus bonorum, ſed nil poſſunt tangere:
Urnis ſceleſtas Danaides portant aquas,
Pertuſa nec complere poſſunt dolia:

Imo,

tentiam egregiam, eo etiam probatur quod minorem immutationem in verſiculo inducat, et facile cernatur vocum permutationem ab imperitia Amanuenſis fortaſſe factam. Verbum porro latinum eſt et probatum, ut exempla paſſim oſtendunt Ciceronis II. de Orat. c.25. Pro Cluent. c.41. Cornelii Nepotis in Atric.c.6. Taciti Annal. XIII. c.59. Lucii Flori lib. III. c. 17. atque aliorum. Quin Iuvenalis ad noſtram rem propius Satyr. VIII. v. 132. ſcribit:

Quod ſi praecipitem rapit ambitus, *atque libido.*

Inſuper praeteteundum non eſt, quod lectionem graviter etiam firmat, humanorum affectuum revera miſerrimum in populari impetio ambitionem extitiſſe, nec non Romanos Scriptores ad ipſum quoque Siſyphum ſaepe ſpectantes, eam atrocibus pinxiſſe coloribus. Hinc Horatius I. Satyr.4.v.26. ſcribit: *Laborare ambitione miſera*, et *mala* II. Satyr.3.v.78. 4. v. 18. Cicero de Offic.I. c.26. *Miſerrima eſt omnino ambitio bonorumque contentio.* Seneca epiſt. 84. *Relinque* ambitum, *tumida res eſt, vana, venioſa, nullum habet terminum, tam ſollicita eſt ne quem ante ſe videat, quam ne poſt, alium. Laborat invidiâ, et quidem dupli-ci. Vides autem quam miſer ſit is cui invidetur, ſi et invidet... Quaecumque videntur eminere in rebus humanis, quamvis puſilla ſint, et comparatione humillimorum exſtent, per difficiles tamen et arduos tramites adeuntur. Confragoſa in faſtigium dignitatis via eſt. At ſi conſcendere hunc verticem licet, cui ſe fortuna ſubmiſit: omnia quidem ſub te adſpicies, ſed tamen venies per ſumma ad planum.* Tandem iterum Luctetius lib.V.v.1119.

At claros ſe homines volucre eſſe atque potentes.
Nequicquam, quoniam ad ſummum ſuccedere honorem
Certantes iter infeſtum fecere viai.
Et tamen e ſummo, quaſi fulmen, deiicit ictos
Invidia interdum contemtim in tartara tetra:
Proinde ſine incaſſum defeſſi ſanguine ſudent,
Anguſtum per iter luctantes ambitionis.

Vide etiam, ſi lubet Iuvenalem Satyr. X. v. 102. et ſeqq.

(5) *Medio ſit*. . Nempe *medio ſitit*, quod exploratum eſt. Ovidius etiam lib. III. Amor. eleg. 12. v. 30.

Proditor in medio Tantalus amne ſitit.

et Seneca Hercul. Furent. v. 752.

In amne medio faucibus ſiccis ſenex.

Imo, luxuriae quidquid dederis, perfluet (6).
Novem porrectus Tityos eſt per iugera,
Triſtis renatum ſuggerens pene iecur (7);
Quo quiſque (8) *maiorem poſſidet terrae locum,*
Hoc demonſtratur curâ graviore adfici.
Conſulto involvit Veritatem Antiquitas.
Ut Sapiens intelligeret, erraret rudis.

FA-

(6) Hoc pacto verſiculus interpungendus videtur, minime vero ſic:

Imo luxuriae, quidquid dederis, perfluet.

ut ſit, perfluet quidquid dederis imo luxuriae, veluti barathro: minime inquam: nam neque ſententia exiurgit recta, nec ad rem facit. Contra vero quum appoſite Auctor luxuriam pertuſis Danaidum doliis comparaſſet, recte arguit ex pertuſo luxuriae fundo elabi atque efflui quidquid immiſeris. Vox autem *imo* ad hanc ſententiam probata eſt, exemplaque ſuppeditant Horatius lib. II. Satyr. 4. v. 57. I. Epiſt. 18. v. 77. De Art. Poet. v. 126. Plinius lib. IV. hiſt. nat. c. 11. XXXII. c. 6. aliique plures.

(7) Verſiculus hic, ut modo legitur, probatus omnino non eſt. Trochaeum enim habet in quinta, et graviter ſententiâ laborat. Attamen ſi leniſſima emendatione *pene* in *poenae*, *triſtis* in *triſti* convertamus metrum optimum, atque egregiam ſententiam ei reſtituemus. Legemus ſcilicet:

Triſti renatum ſuggerens poenae iecur.

Quem verſiculum, ut plane genuinum tenerem, tum quod palam eſt in iſto atque in reliquis Codicibus facile excidere atque omitti diphthongos, tum quod Seneca ad eumdem ſane modum ſcribit in Hippol. v. 1233.:

Vultur relicto tranſvolet Tityo ferus,
Meumque poenae *ſemper accreſcat iecur.*

et Virgilius Aen. VI. v. 595.

(Tityi) *foecundaque* poenis
Viſcera . . . nec fibris requies datur ulla renatis.

(8) *Quiſque*. Legendum *quis*; ſecus nec ſententia, nec metrum conſtat. Nemo vero non videt quam facile alterum in alterum permutari potuiſſet.

FABULA VII. num. 40.

AUCTOR.

De Oraculo Apollinis.

Utilius nobis quid ſit dic, Phoebe, obſecro,
Qui Delphos, et formoſum Parnaſum incolis:
Qu. d. (1) *ſacratae Vatis horreſcunt comae,*
Tripodes moventur, mugit adytis Religio;
Tremuntque lauri, et ipſe palleſcit dies?
V...s..s, lvit (2). *ſta* (3) *Phyton* (4) *Numine,*
D..

(1) *Qu. d.* Hoc loco ſcriptum fuiſſe videtur *quid o.* Nam quiddam *o* a praecedenti et ſubſequenti verbo fatis clare iuſto intervallo diſtare cernitur. At quidnam ſibi vult iſtud *o*? Non videtur omnino eſſe particula vocantis, aut appellantis. Tum enim legendum fuiſſet:

Quid o ſacrata vates horreſcunt comae?

quod ſententiam ineptam, et ſyntaxin vitioſam habet, nec non a ceteris refellitur, quae lectionem praecedunt et ſubſequuntur. Melius legeretur *ō*, quod revera fortaſſe ſcriptum fuit. Tum *ō* eſſet compendium *ve modo*, et verſiculus ad metrum et ſententiam commode procederet:

Quid modo ſacratae Vatis horreſcunt comae?

ſcilicet *ad quid*, *quorſum*, *cur*; Nam Codex paullo poſt ſignum interrogationis exhibet. Verumtamen neſcio an rectius quoque expuncta interrogatione ſcribatur *quum modo*, vel *quando*, quae eſſent *quoniam*, *quandoquidem*, *ſiquidem*.

(2) *V...s..s. lvit.* Legerem *voces reſolvit*, quod loco, et ſententiae omnino congruit, et veſtigiis egregie adſcitur. Virgilius de Sybilla III. Aen. v. 457.

Ipſa canat, vocemque *volens atque ora* reſolvat.

et Seneca Thyeſt. v. 69.

Laxantur adyto fata, et immugit ſpecus

Vocem *Deo* ſolvente.

(3) *. ſta.* Reponerem *acta*, quod probatum et genuinum videtur. *Agere* enim eſt etiam *agitare*, *commovere*, *ſtimulare*. Sic Virgilius Aen. IV. v. 465.

(Didonem) *agit ipſe furentem*
In ſomnis pius Aeneas. Horatius II. Satyr. 3. v. 135.

D.....Gentes (5) *Delii monitus Dei:*

h *P....*

At non ante malis dementem actum Furiis (Oreſtem).

Lucanus VI. Pharſal. v. 731.

Non agitis ſaevis Erebi per inane flagellis
Infelicem animam.

Proprie vero et eleganter Auctor *actam numine* dicit Phoebaden, quae revera oraculum editura commovebatur vehementer, et mirum in modum agitabatur. Lucanus de ipſa Pythia lib. V. Pharſ. v. 166.:

.... non umquam plenior artus
Phoebados irrupit Paean, mentemque priorem
Expulit..... nec verbere ſolo (Phoebe)
Uteris et ſtimulis, flammas in viſcera mergis.

Et Virgilius de Sibylla VI. Aen. v. 78.

Bacchatur Vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

(4) *Pbyton*. Verbum dubio procul corruptum. Nam etiamſi Auctor de Serpente loqueretur ab Apolline iaculis confoſſo, ut habent Fabulae apud Ovidium I. Metam. v. 438. Lucanum VI. Pharſ. v. 408. Statium Theb. VI. v. 8. et Claudianum in Rufin. I. v. 1. ſcribendum fuiſſet omnino *Python*, Graecis Πυθων, a πυθεσθαι, ut Docti tenent derivatum, et unde Apollo Pythius, et ludi Pythii dicti ſunt. Sed hîc nullus Serpenti locus. Nec το *Python* probari poteſt in ſenſu τα δαιμονια μαντικα, de quo Heſychius et Suidas meminerunt, et quod illi eſt etiam εγγαστριμυθος, et εγγαστριμαντις *ventriloquus* ſcilicet et *bariolus ex ventre*. V. Plutarchum de defect. Oracul. Tertullianum IV. adv. Marcion. c. 25. et adverſus Prax. c. 19. atque alios etiam quos adducit Ioannes Brodaeus Miſcell. VIII. c. 19. etc. Etenim non ex ſe illud daemonium oracula fundere putabatur, ſed alios ad ea fundenda afflare et ſtimulare. Atqui ſecus fit in fabellâ. Quamobrem omnino legendum eſſe videtur *Pythia*, quae revera vates et virgo eſt, a qua oraculum canitur. Vox autem non modo probatiſſima eſt Graecis Scriptoribus, ut Aeſchyni in Creſiph. Demoſthenis, Plutarcho in Alex. in Hellen. Athenaeo Dipnoſoph. lib. XIV. etc. Sed latinis etiam, veluti Lucretio lib. V. v. 112. Ciceroni I. de Divinat. c. 19. Cornelio Nepoti in Miltiad. c. 1. et Iuvenali XIII. Satyr. v. 109. Propius quidem accederet ad lectionem Codicis *Pytho*, quod ipſum *Pythia* eſſe a quibuſdam ſcribi Aegydius Forcellinius in Lexico ſuo auctor eſt; ſed quum is nec qui il fuerint prodiderit, nec ullum teſtimonium unde unde corraſum protulerit, ab illa lectio-

P...atem colite (6); *vota Superis reddite*;
P....am (7), *parentes*, *natos*, *caſtas coniuges*
Defendite armis hoſtem ferroque pellite (8);

Ami-

ſtione non recederem. Et re quidem vera numquam prorſus *το Pytho* pro *Pythia* nec Graecis nec Latinis uſurpatum videtur. Qui eo verbo uſi ſunt, non Phoebadem, ſi memini, ſignificarunt, ſed urbem Phocidis, quam ipſos fuiſſe Delphos Geographi praeſtantiores rati ſunt. Ita quidem Homerus Iliad. B. Catal. v. 26. Odyſ. 8. v. 80. Heſiodus-Theog. v. 499. Pindarus Olymp. Ode II. Stroph. 2. et 3. Od. VI. Stroph. 2. etc. Apollonius Argonaut. I. v. 200. et 208. Pauſanias in Phocaic. c. 6. Stephanus de Urbib. Lucanus V. Pharſ. v. 134. atque alii plures: Nec Tibullus ad aliud ſpectavit, quum lib. II. Eleg. 3. v. 23. ſcripſit:

Delos ubi nunc, Phoebe, tua eſt, ubi Delphica Pytho?
Nempe amor in parvâ te iubet eſſe caſâ.

(5) *D..... Gentes*. Reponerem *docetque Gentes*. Verum quidem eſt vocem veſtigiorum auctoritate non niti, quum nulli ſuperſint, fragmentum tamen, locus, ſententia, ſyntaxis lubenter eam recipere et probare videntur.

(6) *P...atem colite*. Scilicet *Pietatem colite*, ut evidens eſt. Cicero in Somn Scipion. c. 3. *Iuſtitiam* cole *et* pietatem, *quae quum ſit magna in parentibus et propinquis, tum in Patria maxima eſt*. Plautus Aſinar. III. 1. v. 6.

Hoccine eſt pietatem colere, matris imperium minuere?

Terentius Hecyr. III. 4. v. 23.

Quod potero faciam, tamen ut pietatem colam.

(7) *P....am*. *Patriam* nempe, ut aeque certum eſt.

(8) Verſiculus eſt ſyllabâ longior, niſi quis mallet in quinta ſede creticum ſeu amphimacrum probate, quem negligentiores tantummodo Comicorum iambi ferunt. Propterea latius eſſet, ſi expungeretur particula *que*, quae revera in toto oraculo nuſquam alias apparet. Legi tum atque interpungi poſſet:

Defendite armis, hoſtem ferro pellite.

Quae ſane ſententiam non abſurdam praeſeferrent: Ad rem Salluſtius Bel. Catil. c. VI.

Libertatem, Patriam, Parenteſque armis tegere.

et Lucretius lib. II. v. 639.:

Propterea magnam armati *Matrem comitantur,*
Aut quia ſignificant Divam praedicere, ut armis
Ac virtute velint patriam defendere terram.

Sed melius fortaſſe lectio procedet, ſi *το que* in *et* tantummodo immutetur, et legatur

De-

Amicos ſublevate; miſeris parcite;
Bonis favete; ſubdolis ite obviam;
Delicta vindicate; caſtigate impios (9);

Defendite; armis boſtem et ferro pellite.

Emendatio enim lenior eſt, et rectior videtur ſententia *tu defendite*, quum non unis armis *patria*, *parentes*, *nati*, *uxores* defendantur. Nec negotium, ut puto, faceſſunt illa *armis et ferro*, quae eadem videntur. Nam Virgilius I. Aen. v. 545. ſcripſit *nec bello maior et armis*; Seneca in Troad. v. 320. *belli et armorum immemor*, Silius Italicus VIII. Punic. v. 217. *tam bellum atque arma poſuit*, et *bellum* et *arma* unum idemque his locis exiſtimarunt magni nominis Interpretes. V. Gaſp. Barthium. III. Adv. c. 21. Quod ſi rectius invicem diſcriminantur, *ferrum* etiam ab *armis* late diſcrepat. *Ferrum* enim pro enſe, gladio ſumitur, et ferreum tantummodo inſtrumentum eſt, quo quis manu confoditur et transverberatur. Cicero III. de nat. Deor. c. 32. *Druſum* ferro, *Metellum veneno ſuſtulerat*. Nepos in Alcib. c. 10. *Illi quum eum* ferro *adgredi non auderent*. *Armorum* autem poteſtas latiſſime patet, et omnia inſtrumenta ſignificat, quibus homines in bello utuntur, ſive ad corpus ſuum tegendum, ſive ad hoſtes repellendos. *Arma*, ait, Cicero pro Cecin. c. 21. *alia ad tegendum, alia ad nocendum*. Ideoque arma ſunt galeae, loricae, ocreae, haſtae, tela, et lapides etiam, ac fuſtes, ut ſcribit Caius Dig. de verb. ſignif. leg. 41. Et ſi Salluſtius B. Catil. c. 43. *armorum atque telorum portationes* recte dixit, Livius lib. 44. *arma telaque parant*, Columella lib. XII. c. 3. *Seorſim arma ac tela reponere*; Quidni Noſter recte quoque ſcribere potuit *armis et ferro pellere?* Quin politiſſimus Poeta Pedo Albinovanus dixit Eleg. I. v. 235.

Iſte tuus periit, periit arma inter et enſes.

(o) Hic verſus in tertiâ ſede habet amphibrachum. Equidem fateor nullum mihi adhuc exemplum occurriſſe, quo tenere potuiſſem huiuſmodi pedem in expolitis arque elaboratis iambis rite uſurpari. Nihil tamen propterea in verſiculo immutarem. Quo enim hic retineatur ſatis auctoritatis et ponderis habere arbitror exempla Comicorum, qui interdum pedem illum in Senariis adhibuerunt. Plautus Amphitr. Prolog. v. 92.

Iovem invocarunt, venit, auxilio iis fuit.

Terentius Andriâ I. ſcen. 1. v. 17.

Quaſi exprobratio eſt immemoris beneficii.

aliiſ-

Punite turpi thalamos qui violant ſtupro;
Malos cavete; nulli nimium credite.
Haec eloquuta concidit Virgo furens:
Furens profecto, nam quae dixit perdidit,

aliiſque pluribus in locis ſimilia.

Praeterea nulla certa ratio apparet, cur amphibrachus reiiciendus omnino ſit ex huiuſmodi verſiculis. Lex enim carminis eſt, ut iam diximus, non iambum modo et ſpondaeum in eo rite recipi, ſed reliquos pedes etiam, qui eamdem ſyllabarum quantitatem retinerent, praeter trochaeum: Atqui unus ex his eſt amphibrachus: Quem tandem ea etiam ex cauſſa in verſiculo retinerem, quod nulla aequa via pateat, qua commode expungi poſſit; ſententia recta, verba probatae notae, et ea, quae utcumque ſumas et colloces voto non reſpondent: nec aliud eſt quod emendationi faveat, eamque ſpecie ſaltem veritatis tueatur. Quid? expungemus omnino verbum, et novum ex auctoritate et ſententia noſtra procudemus? Quamobrem ego potius dixerim Auctorem ad Comicorum conſuetudinem hac vice ſe demiſiſſe, et maluiſſe metrum, quam verborum proprietatem aliquo pacto violare. Quin vero illud etiam maxime animadvertendum puto, hunc verſiculum non in Auctoris, ſed in Pythiae ore poni. Pythia autem veluti ex ſacro more non elegantes et elaboratos, ſed inconditos, graviterque in metra peccantes verſiculos fundebat. Id praeter ceteros data opera obſervat Plutarchus in libello qui inſcribitur *Cur Pithia non reddat Orac. carm.* eademque de Sibylla addit, quae vero pluribus etiam retulit S. Iuſtinus Cohort. ad Graec. p. 34. Edir. Colon. 1686. Quamobrem ut etiam hac in re το πρεπον ſervaret Auctor noſter illud metrum permittere ſibi potuit; quod profecto ideo veriſimilius mihi videtur, quod integrum revera oraculum parum elaboratum ac elegans eſt, multumque ſane cultu et numero a prioribus fabellae verſiculis diſtat.

FABULA VIII. num. 43.

AESOPUS ET SCRIPTOR.

De malo Scriptore se laudante.

Aesopo quidam scripta recitârat ma.. (1),
In quîs (2) ineptê multum se iactaverat:
Scire ergo cupiens quidnam sentiret Senex,
Numquid, inquit (3), sum tibi visus superb... (4)?

 Haud

(1) *Ma..* Nempe *mala*, quod ex fragmento, et sententiâ perspicuum est. Metrum est primum, et Auctor haec ipsa *scripta* paullo post appellat *volumen pessimum*. Horatius autem II. Epistol. 2. v. 106.

Ridentur mala *qui componunt carmina.*

et v. 126.

Praetulerim Scriptor delirus inersque videri,
Dum mea delectant mala *me.*

Similia II. Sermon. I. v. 82. V. v. 74., et alii quoque plures.

(2) *In quîs*. Ita scriptum est, et quidem recte. Nam Plinius lib. XII. c. I. *Mille sunt*, ait, *usus arborum sine* quîs *vita degi non possit*. Phaedrus lib. III. fab. 13. v. 11. *De* quîs *nunc agitur*, et lib. V. fab. 1. v. 9. In quîs *Menander*.

(3) *Numquid inquit* etc. In hunc versiculum dubio procul aliquod vitium irrepsit; Nam omnes dipodiae integrae sunt, et statim in prima sede trochaeus offenditur. Si scriberetur:

Numquid tibi, inquit, visus sum etc.

metrum quidem rectum esset, et versiculus numerosus: sed quis facile credet tantam verborum perturbationem et inversionem in eo fieri potuisse? Quamobrem satius putarem unum *inquit* in *ait* immutare, ac legere:

Numquid, ait, sum tibi visus etc.

Emendatio enim, ni fallor, lenis est, quum verba eamdem prorsus sententiam habeant, et alterum propterea in alterum nullo negotio interdum transeat. Praeterea *inquit* paullo post iterum occurrit.

(4) *Superb*... Reponerem *superbiens*, qui scilicet superbiret ob ingenium, fiduciâ ingenii. Ovidius VIII. Epist. Heroid. v. 43.

Ille licet patriis sine fine superbiat actis.

et propius Phaedrus lib. V. fab. 7. v. 38.

Superbiens honore divinae domus.

Haud vana nobis ingenii fiducia est.
Confectus ille peſſimo volumine,
Ego, inquit, quod te laudas vehementer probo,
Namque hoc ab alio numquam continget tibi.

FABULA IX. num. 49.

POMPEIUS MAGNUS ET EIUS MILES.

Quam difficile ſit hominem noſſe.

Magni Pompeii Miles vaſti corporis,
Fracte loquendo, et ambulando mol.....(1),
Famam cinaedi traxerat certiſſimam.
Hic inſidiatus nocte iumentis Ducis,
Cum veſte, et auro, et magno argenti po.....(2)
Aver-

Sed melius fortaſſe legetur *ſuperbior*, quae aeque latina et probata vox eſt. Ovidius Metam. VII. v. 802. *Laudato Pavone ſuperbior*. Atque abſolute Cicero VII. Epiſt. ad Famil. 13. *Audi, mi Teſta, utrum* ſuperbiorem *te pecunia faciat, an quod te Imperator conſulit*. Tacitus II. Hiſtor. c. 63. *Vitellius irrepentibus dominationis magiſtris* ſuperbior *et atrocior*. Noſtrum autem, ſi ſuppleas *eo aequo* vel *iuſto* egregiam habet ſententiam, et neſcio quomodo mihi magis ſe probat, quam *ſuperbiens*. Haud valde abſimili pacto Cicero pro Domo ſua c. 35.: *Hoc reprehendis quod ſolere me dicas de me ipſo* glorioſius *praedicare*.

(1) *Ambulando mol*..... Scilicet *ambulando molliter*, quod fragmentum, ſententia, leges carminis omnino probant. Ovidius III. de Art. v. 305.:

. . . . . *ruſticus alter*
Motus in inceſſu, mollior *alter erit.*

II. Amor. 4. v. 23. *Molliter incedit*. Seneca VII. Quaeſt. Nat. c. 31. *Tenero et* molli inceſſu *ſuſpendimus gradum*. Tandem Iulius Firmicus lib. VIII. c. 7. *Molliter ambulant*.

(2) *Po*..... Legerem *ponderе*, quod fragmentum luculenter indicat, metrum recipit, et plane probat ſententia. Caeſar

Avertit mulos. Factum rumor diſſipat;
Arguitur Miles, rapitur in Praetorium.
Tum Magnus: Quid ais? Tune me, Commilito
Spoliare es auſus? Ille continuo exſcreat
Sibi in ſiniſtram, et ſputum digitis diſſipat (3).

ſar de B. Civ. III. c. 96. *Magnum* argenti pondus *expoſitum*. c. 103. *Magnum aeris* pondus. Cicero III. Verr. c. 17. *Grande* pondus *auri*.

(3) *Diſſipat*. Sic perſpicue in Codice: Sed quid, ſi eadem ipſa vox ad aliam ſententiam paullo ſuperius adhibita fuit? Iſta repetitio inopportuna, ac inelegans eſt, fabellaeque Scriptore, niſi vehementer fallor, indigna. Quamobrem, ſi hoc loco placeret *diſſipat*, in ſuperiori ſatius legi poſſet *factum rumor diſtulit*, quod eamdem ſententiam ſervat, haud magnopere diſcrepat figura elementorum, et plane eſt ex proprietate verborum. Terentius Heaut. Prolog. v. 16.

Nam quod rumores diſtulerunt malevoli
Multas contaminaſſe Graecas (*Comoedias*).

Nepos in Dione c. 10. *celeri rumore dilato*. Petronius c. 10. *rumoribus nos different.*, et tandem Valerius Flaccus I. Argon. v. 753.

. . . *Regemque fragor per moenia* diſſert
Mille ciere manus.

Quod ſi vero ibi arridet magis *to diſſipat*, quia egregium eſt ac elegans: Nam Cicero Philipp. XIV. c. 6. *Et cum vitae etiam periculo*, ait, *famam iſtam faſcium diſſipaverunt*. C. 15. *famam rei diſſipare*, et *rumores diſſipare*: Tum pro Planc. c. 57. . . . *Nihil eſt autem tam volucre quam maledictum*, . . . *nihil latius diſſipatur*: et Coelius apud eumdem Ciceronem VIII. Famil. ep. 1. *Te ſubroſtrani diſſipárant periiſſe*: et alii plures ſimilia: Et quia *diſtulit* ſit in praeterito, quum verbum potius temporis praeſentis requiratur: Tum, inquam, hic legerem *diſſicit*, quam rectam et veriſimilem lectionem quis haud temere dixerit nec abſurde. Primum enim vox probata eſt, et ad propoſitum facit. Si Auctor Rhetor. ad Herenn. lib. IV. c. 3. recte dixit *res ſparſas, et vage diſiectas*, Horatius II. Carm. Od. 19. v. 14. *tecta diſiecta*, Seneca in Supplic. v. 12. *membra diſiecta*. Ovidius XII. Epiſt. v. 63. *diſiectas comas*, recte quoque Auctor noſter *ſputum digitis diſiectum* dicere potuit. Praeterea, quod gravius eſt *to diſſipat* facillime Amanuenſium imperitiâ ex *diſiicit* confingi potuit. Herculeſ Ciofanus ad illa Ovidii XI. Metam. v. 386.

Pro-

Sic, Imperator, oculi extilleſcant (4) mei,
Si vidi, aut tetigi. Tum Vir animi ſimplicis
I.....s .aſ..o... (5) popelli iubet,
Nec..

Proſilit, et nondum totos ornata capillos
Diſiicit *hos ipſos.*

obſervat loco *ta diſiicit* quod genuinum eſt, in ſex codicibus MSS. inventum fuiſſe *diſſicit*, in altero *diſicit*, in tribus ipſum plane *diſſipat*; tum addit Burmannus ſe in aliis et haec ipſa, et *diſcidit*, *diſcutit*, *diſſecat* offendiſſe. Nec praetereundum eſt in ceteris quoque Auctoribus *diſſicit*, *diſicit* potiſſimum occupaſſe *to diſiicit*. V. Obertum Giſanium Indic. Lucret. V. *Proiicere* etc. Quamobrem tam facili, probabili et uſitatâ emendatione a turpi illa repetitione Auctorem liberare non dubitarem.

(4) *Extilleſcant*. Sic in Codice. Non negaverim me adhuc neſcire utrum *extilleſco* a ceteris Scriptoribus, qui ſuperſunt uſurpatum occurrat. Sed etiamſi nuſpiam plane legatur, minime tamen ut barbarum vel ſubditicium reiicerem. Ex latini enim ſermonis analogia rectiſſime fit et derivatur. *Extillo*, quod primitivum verbum dixeris, probatum eſt. Plautus Pſeud. III. 2. v. 29.

(Sinapi) *oculi ut* extillent *facit*.

Terentius Phorm. V. 7. v. 81.

Hiſce ego illam dictis ita tibi incenſam dabo,
Ut ne reſtinguas lacbrymis ſi extiliaveris.

Columella lib. XII. c. 48. *Sicque triginta dies pati* (olivas) *conſudaſcere, atque omnem amurcam* extillare. Quamobrem ut notum eſt, ſi *ardeſco*, *caleſco*, *horreſco*, *refrigeſco* aliaque multa rite et iure fiunt ab *ardeo*, *caleo*, *horreo*, *frigeo* etc. Quidni aequo iure *extilleſco* ab *extillo* fiet? Nos latinae linguae fines non novimus, ut etiam alibi dictum eſt, multaque ſane ſunt, quae unius omnino Scriptoris, et non raro Grammatici auctoritate nituntur. Neque porro dici poteſt *extilleſcant* ex *extillent* Amanuenſis vitio immutatum. Nam verſiculus egregie procedit, et palam eſt revera corrumpi ſiquis pertinacitet *extillent* obtrudi velit; Tum vero in aeque commodo et recto verſiculo paullo poſt verbum iterum occurrit.

(5) *I..... s. . as . . o . . .* Hoc loco tria omnino verba fuiſſe videntur: primum ſcilicet duarum aut trium litterarum, ſecundum ſeptem vel octo, tertium novem aut decem. Hoc poſtremum veſtigiis, fragmentis ceteriſque inſpectis iure *caſtrorum* teneri poteſt, primum diceres *to id*, nam veſtigia *d* obſcura non ſunt; medium difficilius arguitur. Verumtamen ex reli-

Nec ..de.....um (6) *credit tantam audaciam.*
..... .ars ....rceſſit (7), *et manu fidens* (8)
....

liquiis cuiuſdam *d* initio verbi poſiti, ex fragmento *s*, ex numero deficientium literarum nil potius, meo iudicio, legi poteſt quam *dedecus*: Ita ut totius loci lectio eſſet: *Id dedecus caſtrorum*, quae ſane metrum, ſententiam, ac ſyntaxin recte, ni fallor, ſervant. Vox *caſtrorum* opportuna eſt, nam res in caſtris potiſſimum fit, quod Praetorium, tribunal, et ſingulare certamen oſtendunt; tum iure cinaedus miles *caſtrorum dedecus* dicitur, quum nil militi turpius et minùs conveniens, quam effeminatus habitus, mollis et luxurioſa vita. Tum vero etiam quod turpitudinem illam uſurpaſſet. Praeterea ut latine Cleopatram Lucanus lib. X. v. 59. *dedecus Aegypti* dixit, Phaedrus aſinum *naturae dedecus* fab. 21. lib. I. v. 11. appellavit: Tum vero etiam Seneca in Agamemn. v. 300. ſcripſit:

Faceſſe propere, ac dedecus
clarae domus
Aſporta ab oculis, haec va-
cat Regi et viro.

ita latine etiam Noſter appellare potuit militem *caſtrorum dedecus*: Et ſi hic ipſe probroſus miles dicitur *dedecus*, ex Phaedri ſtilo eſt, qui abſtracta, ut nuncupamus, vocabula pro concretis ſaepiſſime, ut alibi etiam obſervavimus, uſurpat. Sic fab. 3. lib. I. v. 16. *calamitas*, fab. 5. v. 11. *improbitas* fab. 1. lib. II. v. 14. *aviditas* fab. 4. v. 16. *credulitas*, Prol. lib. III. v. 34. *ſervitus*, atque ſimilia paſſim ſunt pro *calamitoſo*, *improbo*, *avido*, *credulo*, *ſervo*, atque huiuſmodi. Tandem vero *id dedecus* aeque latinum ac rectum eſt. Silius Italicus I. Punic. v. 105. plane ad rem:

Gens recidiva Phrygum Cad-
meae ſtirpis alumnos
Foederibus non aequa premit:
ſi fata negarint
Dedecus id Patriae *noſtra* depellere *dextra*,
Haec tua ſit laus, Nate; velis..

(6) *Nec .. de .. .... lum.* Legerem *nec cadere in illum*, quae quidem ut certa haberi poſſunt. Nam fragmenta, locus deficientium literarum, ſententia, ſyntaxis, metrum nil potius recipiunt. Loquendi autem modus purus eſt atque elegans. Ciceto pro Sylla c. 27. *Non* cadit *in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem iſta ſuſpicio*. Virgilius Eclog. IX. v. 17. *Heu* cadit *in quemquam tantum ſcelus!* Plinius lib. XXXVI. hiſt. nat. c. 10. *Non* cadit *in alium tam abſolutum opus*.

(7) ..... *.ars ....* *receſſit*. Haec fragmenta, et veſtigia quae ſupetſunt duo verba omnino, ut viſum eſt, probant *mars* ſcilicet, et *interceſſit*. Haec autem ad rem ſunt, quum *mars* pro bello,

ptae-

....s (9) *provocabat Barbarus ;*

..bl

praelio , pugna ſumatur , ut omnes ſciunt , et *interceſſit* proprie et eleganter ad propoſitum uſurpatur. V. Terentium Andr. V. 5. v. 4. Ciceronem I. ad Famil. Ep. 9. Caeſarem I. Bel. Civ. c. 21. alioſque plures. Ante iſta autem verba quid ſcripſtum fuerit liquido non conſtat. Locus ſeptem circiter literas tantum capit , quarum quarta videtur ſatis clare *u* , quinta *s* vel *i* , ſexta item *t* : Ex quibus haud abſurde coniici poteſt lectionem Codicis fuiſſe *fortuito* , ideoque totum hemiſtichium erit *Fortuito mars interceſſit* .

(8) Is verſiculus gravi vitio dubio procul labotat. Habet enim ſpondaeum in ſexta , et ſyllabâ ſaltem longior videtur , ut ut initio legendum ſit. Praererea *το mars* paullo poſt iterum occurrit , et alia quidem poteſtate , quumque ibi rectiſſime plane uſurpetur hîc ſubditicium ac ſpurium videtur. Quamobrem ego verſiculum ſic legere auderem :

Bellum forte interceſſit , et fidens manu.

Ubi enim tam gravia corruptionis argumenta adſunt haud temere pro *fortuito* potiori ac magis probabili ſententia legitur *forte* , et ſi loco etiam poſtponitur fab. XII. pro *victorem forte* , legitur *Forte victorem* . Quod ſi inſignior porro videtur immutatio *τε mars* in *bellum* , animadvertendum eſt non ſemel in MSS. Auctorum reliquorum Codicibus unum pro altero offendi , quemadmodum praeter cetetos obſervavit Burmannus ad Ovidii Metam. VI. v. 464. Equidem non ſum neſcius Auctorem de praelio potius et pugna loqui , quam de bello , ſed palam eſt *bellum* abſolute pro praelio ac pugna ab optimis Scriptoribus uſurpari : Ita quidem Virgilius Aen. II. v. 439.

Hic vero ingentem pugnam , ceu cetera nuſquam
Bella *forent* .

Statius III. Thebaid. v. 666.

Sed prima ad claſſica . . .
Ne mihi tunc , moneo , lituos atque arma volenti ,
Obvius ire pares , ventiſque aut alite viſa
Bellorum *proferre diem* .

Tum ſimilia Varro lib. VI. L. L. c. 3. Iuſtinus lib. II. c. 12. XVIII. c. 1. , aliique plures.

(9) . . . . . *s* . Abſtruſa lectio . Hîc quinque circiter ſupra decem literae ſcriptae fuerunt . Primum verbum ad quatuor , ut puto , abibat , eiuſque initialis *v* quae non obſcure perſpicitur , ſatis commode *το voce* indicat . Deinceps vero duone an unum tantummodo verbum extiterit ex Codice peti nequit. Mediae enim literae deletae omnino ſunt , nullumque ſui veſtigium reliquerunt. Poſtremas vero , *r* ,

u ,

.. bi ...ſque metuit (10), (11) *primi muſſant duces.*

u, *s* non temere dixeris, et ſi verbum velis *ferus* quam proximum, ni ipſum ſuit, haberi poteſt. Quamobrem niſi fallit opinio ad totum locum reſtituendum verbum unum deſideratur ſeptem circiter literarum. Equidem animadvertens omnino requiri ſubiectum verbi *provocabat* illudque nonniſi Romanos ſpectare, inde reciperem *noſtros* quod non ſententiae modo, ſed etiam loco plane congruit. *Noſtri* dicuntur quicumque ad nos pertinent, potiſſimum vero quum externis opponuntur, ideoque quum in fabulâ de bello inter Romanos et barbaros agatur, recte latinus Scripror illos abſolute et κατ' ἐξοχην *noſtros* potuit appellare. Sic Cicero in Piſonem c. 8. O noſter *miſericors*, *quid facis? quod nulla in* Barbaria *quiſquam Tyrannus*. Caeſar de B. Gall. c. 26. *Diu quum eſſet pugnatum impedimentis caſtriſque* noſtri *potiti ſunt*. Livius lib. VIII. c. 9. *Divi quorum eſt poteſtas* noſtrorum, *hoſtiumque*. Plinius lib. XII. c. 25. *Balſami in totum alia natura, quam* noſtri, *externique prodiderant*. Scio quidem *voce noſtros ferut* ad metrum non recte procedere, ſed leve eſt, ſi ſcribamus *voce ferut noſtros*, quae quidem tranſpoſitio inducenda omnino videtur quidquid loco τὰ *noſtros* legatur. Quin ego ſcriberem *voce ferâ noſtros*, quod certe potiorem habet ſententiam, Ovidius de barbaris Getis lib. V. Triſt. Eleg. 7. v. 17. Vox fera, *trux vultus*. Eleg. XII. v. 55.

Omnia barbariae loca ſunt vociſque ferinae.

Neque lectioni obſtat quod paullo poſt legatur *voce molli*. Nam quum hic de barbaro, ibi de cinaedo agatur, habet potius quid venuſtatis et elegantiae iſta loquutionum oppoſitio. Praeterea vero obſervandum quoque eſt, quod Claudius Quadrigarius vetus Romanus hiſtoricus ſingulare certamen ſimile apud A. Gellium Noct. Attic. IX. c. 13. referens Intet Manlium Torquatum, et barbarum Gallum factum, de iſto ſcribit: *Extemplo ſilentio facto cum* voce maxima conclamat *ſi qui ſecum depugnare vellet, uti prodiret*. Et Silius Italicus de ſimili certaminis provocatione lib. XVII. v. 527.

. . . clamore feroci,
Provocat increpitans *hoſtem*.

(10) *.. bi ... ſque metuit*. Legerem *ſibi quiſque metuit*, quae certa plane videntur. Locus, metrum, ſententia, fragmenta ea una poſtulant. Livius autem lib. I. c. 9. *Tantam in medio creſcentem molem ſibi ac poſteris ſuis metuebant*. Quadrigarius loc. cit. Gellii *Nemo* (Romanorum) *audebat* (prodire) *propter magnitudinem atque immanitatem faciei* (*Galli*).

(11) Hoc loco omnino excidiſſe videtur particula *et*, nam

..... cinaedus (12) *habitu, ſed mars viribus,*
..... ſedentem (13) *pro tribunali Ducem,*
..voce molli (14): *Licet? Enimvero eiici virum* (15),
U..n re atroci (16) *Magnus ſtomachans, imperat.*
Tum

nam ſine ea neque ſententia, neque metrum recte procedunt.

(12) ..... *Cinaedus.* Hic locus vacuus ſeptem fere literas capit, quarum initialis videtur T. Ideo legerem *Tanien is, cinaedus. Is* autem ut pueri norunt, habet poteſtatem τὸ *hic* et τὸ *ille*. Fuiſſent aliae lectiones. *At ille, ſed ille etc.* Sed non addicuntur.

(13) ..... *ſedentem*: Scriberem *adiit ſedentem*, quod loco et ſententiae ita congruit, ut quamvis nullis veſtigiis firmetur, non dubitaverim, ut veriſimiliorem lectionem, ni genuinam malis, habere. Certe ex proprietate verbum uſurpatur. Cicero ad Q. Fratr. lib. I. Ep. 2. *Quum Praetores diebus aliquot* adiri *non poſſent.* Livius lib. XXXVII. c. 6. *Aditus Conſul.* Seneca in Herc. Fur. v. 733.

Aditur ille Gnoſſius Minos foro.

(14) .. *voce molli*. Scribetem *et voce molli*: nam binae literae deficiunt, nec ſententia ac metrum aliud poſtulant.

(15) Verſiculus eſt toto pede longior. Si ſcriberetur:

Et voce molli. Licet? Et eiici virum

commodum eſſet metrum; ſed quam opportunum τὸ *virum*, vel potius quid magis ineptum et inopportunum? *Vir* quis dicitur ob virtutes animi, ob fortitudinem et robur corporis: Cinaedi autem propterea *viri* dici non poſſunt. Et revera Auctor paullo poſt cinaedum militem *virum* eſſe negavit, quum dixit:

In quo iactura levis eſt, quam fortem virum:

τὸ *virum* igitur in verſiculo noſtro ſubditicium eſt, atque ex Gloſſa dubio procul irrepſit. Fortaſſe ſcriptum fuerat:

Et voce molli: Licet? eum vero eiici.

vel ipſum *enimvero eiici*. Nam ſubiectum facile ſubintelligitur, et elegantius, ni fallor, ob iram imperantis reticetur. Quoad numerum vero verſiculi ſimili fere pacto quemdam ſuum clauſit Phaedrus fab. 5. lib. II. n. 21.

Heus inquit dominus: Ille enimvero adſilit.

(16) *U..n re atroci*. Scilicet *ut in re atroci*. Quod exploratum atque egregium eſt. *Atrocem rem* dicebant Romani, qua Respublica aliquid detrimenti capere videretur. Salluſtius Bel. Catil. c. XXX. *Itaque, quod plerumque in* atroci negotio *ſolet, Senatus decrevit, darent operam Conſules ne quid Respublica detrimenti*

ca-

Tum quidam ſenior ex amicis Principis (17):
Hunc ego committi ſatius Fortunae arbitror,
In quo iactura levis eſt, quam ſortem virum,
Qui caſu victus temeritatis te arguat.
Aſſenſit Magnus, et permiſit Militi
Prodire contra, qui mirante exercitu,
Dicto celerius hoſti abſcidit caput (18),

Vi-

caperet. C. LIV. Res *tanta atque* atrox *nos movit*. Illâ autem ſuperbâ Barbari provocatione non modo Romana maieſtas gravi contumeliâ' afficiebatur, ſed verebatur etiam, ne hoſtis victoriâ contaminarerur et proſtraretur. Quadrigarius: *Deinde Gallus irridere atque linguam exſertare. Id ſubito perdolitum eſt cuidam T. Manlio ſummo genere nato tantum flagitium civitati accidere... neque paſſus eſt virtutem Romanam ab Gallo turpiter ſpoliari.*

(17) *Principis*. Ita quidem in Codice, atque, ut puto, recte. Pompeius enim hic non dicitur *Princeps* ſenſu, quo Imperatores ab Auguſto dicti ſunt principes, ſupremus ſcilicet Imperii moderator et caput, ſed anteriori ac veteri. Videtur ſane exercituum Ducibus huiusmodi nomen abſolute tributum fuiſſe. Livius lib. I. c. 5. Principes *utrimque pugnam ciebant, ab Sabinis Metius Curius, ab Romanis Hoſtius Hoſtilius*. Et fortaſſe Auguſtus, qui veterem Reipublicae formam tam religioſe tueri et ſervare adfectavit, nulla alia ratione *Principis* cognomen ſuſcepit, niſi quia eiuſdem auctoritatis ac poteſtatis eſſet ac cognomen *Imperatoris*. V. ad Tacit. Ann. I. c. 1. edit. Baſſan. 1790. not. (5) Pompeius porro dici potuit *princeps* quod fuiſſet potentiſſimus Romanorum, et vere Princeps Civitatis: Cicero I. famil. ep. 9. *Quum in Republica Cn. Pompeius* Princeps *eſſet*. Pro Domo ſua c. 66. *Cn. Pompeium, quem omnium iudicio longe* Principem *eſſe Civitatis videbat*, et c. 110. *Quum* Principem *Orbis terrae virum* (Pompeium) *incluſum domi contineres*. Praeterea ſic abſolute ipſe Cicero ſcribit Philipp. VIII, c. 29. *O Dii immortales, quam magnum eſt perſonam in Republica tueri* principis, *quae non animis ſolum debet, ſed oculis ſervire civium.* et Phaedrus fab. I. lib. V. v. 4.

. . . *ipſi* Principes
Illam oſculantur qua ſunt oppreſſi manum.

hoc eſt principes Civitatis Athenarum.

(18) Verſiculus ad rectum me-

Victorque redit (19). *His tum Pompeius super: Co-*

metrum non procedit, nisi in quartâ sede reiiciatur sinaloephe. Id quidem fieri posset. Sed licentia esset, qua parce et gravi ratione utendum est. Hic vero, ni fallor, nulla adest caussa, qua iure esset reiicienda. Quamobrem longe satius, uno tantummodo *s* addito, optimum metrum in eo restituitur, si legatur:

Dicto celerius hostis abscidit caput.

ubi animadvertendum est TO *abscidit* melius, ut ego quidem arbitror, ab *abscido* quam ab *abscindo* derivari. Nam eo pacto versiculus fit numerosior, et verbum ad eam sententiam frequentius a Scriptoribus usurpatur, quemadmodum a Lucano lib. VII. v. 628. IV. 503. Seneca in Phoenissf. v. 194. Silio Italico lib. XV. v. 472. Martiali lib. III. Ep. 66. aliisque pluribus. Tum passim Interpretes innumeris fere Auctorum locis ubi voces ex *abscindo* irrepserant, respondentia ex *abscido* restituunt. V. Gronovium ad Livium lib. XLV. c. 5. Munkerum ad Fulgent. Mytholog. I. c. 11. Heinsium ad Valer. Flaccum lib. I. v. 827. et ad Prudent. Apotheos. v. 945. et Obertum Gifanium Observat. Lat. voce *abscissus*. Proposita igitur lectio nempe *hostis abscidit* damnari et reiici non potest. Fatendum tamen est illud *hosti*, quod Codex habet, maiorem vim atque elegantiam praeseferre. Quamobrem si immutatio aliqua in versiculum omnino inducenda est, quid si tantummodo *abscidit* in *recidit* convertatur? Lucanus VIII. Pharss. v. 677.

Pompei diro sacrum caput
ense recidit.

Ovidius lib. IX. Metam. v. 71. caput *est impune* recisum. Praeterea hoc pacto illa verbi ambiguitas auferretur, quod spectatâ Auctoris gravitate levissimum non est. Tum vero Quadrigarius loc. Gellii cit. in simillima occasione: *Ibi eum* (Gallum), ait, *evertit* (Romanus) et *caput* praecedit. Haud vero obstat primam TE *recido* passim corripi. Iam enim plerisque, et nobis etiam alibi observatum est, particulam *re* in verborum compositionem ancipitem omnino fuisse. Et si in *recido* a *cado* prima producitur a Lucretio lib. I. v. 857. et 1062. lib. V. v. 281. a Propertio lib. IV. Eleg. 8. v. 44. Ovidio lib. X. Metam. v. 180., et Phaedro tandem lib. III. fab. 17. v. 15. cur in *recido* a *caedo* produci non potuit?

(19) *Redit*. Scribendum videtur *redit*, vel potius *rediit*. Nam hoc tempus, quod vocant, totius loci syntaxis expostulat. Vidimus vero fab. IV. iterum scriptum in Codice *redit magister* pro *rediit magister*.

Corona militis (20) *equidem te dono libens,*
Quia vindicaſti laudem Romani Imperii (21):
Sed extilleſcant oculi ſic, inquit, mei,
Turpe illud .....ns (22).....(23),
Niſi tu abſtuliſti ..... me .. (24).

FA-

(20) *Corona militis*. Legerem atque interpungerem *Coronâ, miles*, quae genuina lectio videtur. Etenim recipiendus eſſet ſecus proceleuſm. quo quadam ratione ac modo utendum eſt. Tum vero *corona militis* pro corona militari, praeterquamquod nec eleganter nec ſatis latine, ut puto, dici poteſt, certe quidem *te militis* opportunum minime eſt, quum luculenter plane atque perſpicue pateat nonniſi de bellicis coronis Romanum Imperatorem loqui potuiſſe. Praeterea quum *te miles* in lectione Codicis omnino ſubintelligendum fuiſſet, quam lepida locutio eſſet: *O miles, coronâ militis te dono libens.*

(21) *Imperii*. Scribendum potius *Imperî*. Nam ſecus metrum non conſtat. Huiuſmodi autem craſis non in ſimilibus modo rite paſſim eſt uſurpata, ſed in ipſo hoc nomine. Horatius Carm. I. Od. 2. v. 25.

Quem vocet Divûm Populus ruentis
Imperî *rebus*.

(22) . . . . . *ns*. Hoc loco verbum fuit octo circiter literarum, quodque in *ans* terminatum videtur. Nihil aliud ſupereſt. Equidem metro ac ſententia ſpectatis legerem *imitans*, quod profecto loco etiam egregie congruit.

(23)..... Hic vero omnia deleta ſunt, et ſi veſtigia aliqua coloris, quo exaratae fuere literae adhuc apparent, ita corrupta ac tenuia ſunt, ut ne elementum quidem quoquo labore contenderim extundere potuiſſem. Locus tamen qui colore notatus cernitur quatuordecim fere literas continere poteſt, ſed eſſe et aliae ad finem verſiculi potuere, quum ibi potiſſimum ita ſaepe evanuerint, ut charta ſit facta candidior. Si licet igitur truncum verſiculum, ut fieri poteſt, ex ingenio reſtituere, ſcriberem:

Turpe illud imitans, is quod ante fecerat.

Nempe Pompeius imitans illam turpitudinem, quam hic miles paullo ante fecerat, quum in ſiniſtram ſuam exſcreavit, ſputumque digitis diſiecit. Docti potiora.

(24)..... *me*.. Hoc loco tria verba iuſtae longitudinis fuiſſe videntur. Poſtremum ex fragmento, ſententiâ, metro, perſpicue factum colligitur ex pronomine *meus a um*. Primum porro octo litera-

FABULA X. num. 53.

IUNO, VENUS, ET GALLINA (*)

De Mulierum libidine.

Quum caſtitatem Iuno laudaret ſuam;

. . . .

terarum numerum non excedebat, quarum priores haberi tute poſſunt *s*, *a*, tum *r*, et *c* ſed minus certe. Medium vero plane evanuit, neque aliud de eo ſcimus quam lireris fere quatuor conſtitiſſe. Quapropter ſic hemiſtichium legerem *e ſarcinis opes meas*, quum etiam illud *e* ubi ſcribitur a veſtigiis Codicis indicetur, et cetera loco et metro apte congruant. Verba porro, ni fallor, probata ſunt, et ſententia recta. Nam primum *ſarcinae* ſunt militaria impedimenta. Caeſar de Bel. Gall. II. c. 17. *Legionem ſub ſarcinis adoriri*, et III. Bel. Civ. c. 76. *Magna parte impedimentorum et ſarcinarum relictâ*. Tacitus I. Annal. c. 23. *Sarcinae fugientium* (militum) *direptae*. Tum omne opum et ſupellectilis genus, unde Martialis ſcribebat lib. II. Epigr. 11.

Salva eſt et uxor, ſarcinaeque, ſervique,

et Quintilianus Dedam. XII. c. 23. *Inanes domus ſitum ducunt, iacent relictae ſine herede ſarcinae*; et earum praeſertim qua proficiſcentes ſecum ferrent. Sic idem Martialis XII. ep. 32.

O Iulianum dedecus Calendarum
Vidi, Vacerra, ſarcinas tuas vidi.

et notum eſt illud *collige ſarcinulas* in Romano divortio uſurparum. Pompeius igitur recte, et vocabulo, ut ita dicam, militari, quae ſecum in uſus ſuos in bellum profectus ferebat, *ſarcinas ſuas* dicere poterat. *Opes* porro dicuntur potiſſimum res pretioſiores, chariores, et magis exquiſitae, ut aurum, argentum, atque eiuſmodi. Virgilius Georg. II. v. 507.

Condit opes alius defoſſoque incubat auro.

lib. I. Aen. v. 367.

Corripiunt (naves), *onerantque auro portantur avari*
Pygmalionis opes pelago.

Ovidius lib. I. Metam. v. 140.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

quamobrem ingens pondus auri atque argenti, et multa veſtis dici recte poterant *opes*. Praeterea quemadmodum hîc ex univerſis Imperatoris ſarcinis, opes tantum, ſcilicet tar-

. . . . nditatis (1) cauſſa non repellit (2) Venus (3);

i N..

ſarcinae pretioſiores ablatae dicuntur, ſic ſupra ex omnibus immentis Ducis, uni muli abacti, qui eius gazâ onerati erant.

(*) Romulus, quem Rimicius edidit lib. III. n. 8. fabellam hanc habet, totque in ea Auctoris noſtri loquendi modos ſervat, ut dubitari plane non poſſe videatur, quin ex iſtis ipſis iambis interpretatus eam fuerit. Id autem quanti interſit vidimus in Diſſert. I. de Auctor. Fabell. novar.

(1) . . . . *nditatis*. Reponerem *iucunditatis*, quod omnino exploratum videtur. Nam unum certe eſt, quod loco et ſententiae perfecte congruat. *Fecunditatis*, *rotunditatis*, aliaque huiuſmodi loco quidem recipiuntur, ſed abſurda ſunt. Praeterea Romulus habet hîc *iocandi cauſſâ*, et paullo poſt in noſtro eſt *ioco*, quemadmodum nos legimus.

(2) *Repellit*. Scriberem *repulit*. Verſiculorum enim ſyntaxis hoc quidem tempus verbi, quod vocant, non illud poſtulat; neque fabellae Phaedri, quod ad XVIII. lib. III. monuimus, nec iſtae novae a praeſenti tempore umquam inchoantur. Praeterea *repellit* corrumpit metrum. Nam vel pedem vitioſum in verſiculum inducit, vel eum facit ſyllabâ longiorem. Vocem autem, quae ſententiam, ſyntaxim, et leges carminis ſervet, nec non lectioni Codicis quam proxime accedat, niſi *repulit* aliam non novimus.

(3) Verſiculus igitur commode, ut videtur, procedit, quum legimus:

Iucunditatis cauſſa non repulit Venus.

eum tamen totum probatum et genuinum non dixeris. Nam quid eſt, quod *iucunditatis cauſſâ non repulit Venus?* Quod eſt verbi ſubiectum? Et quamvis fingatur de Iunonis iactantiâ agi, ineprum fuiſſet dicere Venerem, ut ſeſe oblectaret eam non refelliſſe, quum potius dicendum fuiſſet, ut iram ſuperbae atque imperioſae Deae vitaret. Praeterea legenti facile patet, quaequae ſit ſententia, quae ex iſtâ lectione extundi poſſit, eam non recte ceteris cohaerere. Quamobrem ego omnino ſatius eſſe arbitrarer unius literulae, nempe *m* adiectione ſcribere:

Iucunditatis cauſſam non repulit Venus.

eoque pacto ſententiam in Codicis verſiculum inducere, quae vera plane ac ſincera videatur. Ea eſſet huiuſmodi: Venus non *reiecit*, *repulit*, *omiſit* eam *cauſſam*, *occaſionem*, *opportunitatem* oblectandi ſeſe atque alios. *Cauſſa* ſane interdum *occaſio* eſt. Cicero de Divin. c. 2. *Mihi* cauſſam *explicandae Philoſophiae attulit gravis caſus Civitatis*. V. ad Famil. Epiſt. 12. *Statim* cauſſam

illam

N . . l . . que (4) *ut affirmaret eſſe illi parem ;*
. . . . rrogaſſe ſic Gallinam dicitur (5) *:*
. . . ſodes (6), *quanto poſſis ſatiari cibo.*
R . . . . ndit illa (7)*: quidquid dederis ſatis erit ;*
S . . . t (8) *concedas pedibus aliquid ſcalpere.*
Ne ſcalpas, inquit, ſatis eſt modius tritici ?
Plane, immo nimium eſt, ſed permitte ſcalpere.
Ex toto, ne quid ſcalpas, quid deſideras ?
Tum denique illa faſſa eſt naturae malum :
Licet horreum mihi pateat, ego ſcalpam tamen (9).

Ri-

illam totam et tempus arripere. Terentius Andr. V. I. v. 18. *Ubi ea* cauſſa, *quamobrem haec faciunt, erit ademta.* Venus porro Dea iocorum et riſus habita fuit, unde ab Homero vocata ſaepe φιλομμειδης invenitur, et iſto eius ioco *riſiſſe* revera Iuno dicitur. Tandem Romulus pro toto Noſtri verſiculo habet *iocandi cauſſá*, quod certe lectionem propoſitam firmat.

(4) *N . . l . . que*. Legerem *nullamque*, quod fragmenta, locus, ſententia plane addicunt. *Nullumque* peccaret in genere, quod Grammatici vocant, quum de feminâ agatur.

(5) *. . . . rrogaſſe*. Scilicet *interrogaſſe*, quod quiſque videt.

(6) *. . . ſodes*. Reponerem *dic ſodes*. Verbi quidem nulla veſtigia ſuperſunt, ſed illud probatum dixeris, quum locus aliud non ſuſcipiat, quod tam recte ſententiae, et metro conveniat. Terentius Andr. I. 1. 57. *Rogitabam, heus puer dic, ſodes*. Iuvenalis Satyr. VI. v. 279.

Dic *aliquem*, ſodes, *dic*, *Quintiliane colorem.*

(7) *R . . . . ndit illa*. Nempe *reſpondit illa.*

(8) *S . . . t*. Legendum puto *ſed ut*, quod omnibus ſpectatis exploratum videtur.

(9) Ut verſiculus hic recte pedibus conſtet neceſſe eſt, ut recipiatur proceleusmaticus vel in tertia vel in quarta ſede. Ego omnino mallem in tertiâ, ut una ſaltem caeſura in verſiculum inducatur. Iam ſuperius fab. II. obſervatum eſt tum in fabellis Phaedri vulgatis, tum in iſtis novis offendi aliquando proceleuſmaticon, ideoque locum hunc minime ſollicitandum contenderem. Sed ſi iſto pede parciſſime Scriptores uſi ſunt, ſi verſiculus parum eſt numeroſus quid ſi loco *nibi* legamus *mi*, quod Lucretius III. v. 106.

Vir-

Riſiſſe Iuno dicitur Veneris iocos (10),
Quia per Gallinam denotavit Feminas.

FABULA XI. num. 55.

PATERFAMILIAS ET AESOPUS (*).

Quomodo domanda ſit ferox iuventus.

Paterfamilias ſaevum habebat filium.

Virgilius VI. Aen. v. 104. Tibullus I. Eleg. 7. v. 69., aliique paſſim, et plane frequentiſſime Catullus et Propertius uſurparunt? Tum quidem, ni fallor, melius res procederet.

(10) *Iocos riſiſſe*. Huiuſmodi lectionem nequaquam probatam dicerem. Tali enim ſyntaxi *ridere* eſt *deridere* ac *illudere*, quum ex totius fabellae tatione verbum abſolute ſumendum videatur in ſententia ridendi, riſusque edendi. Et re quidem vera Romulus ſcribit: *Ad quod dictum Iuno riſiſſe dicitur. Ioci* autem ſunt *dicteria*, ſeu *dicta arguta, lepida, faceta, iucunda*, unde Cicero ad Atticum XIV. Epiſt. 13. Ioca *tua plena facetiarum*. et Ovidius III. Metam. v. 320.

Forte Iovem memorant . . .
vacua . . agitaſſe remiſſos
Cum Iunone iocos.

Ideoque aliquando ipſae fabellae Aeſopiae dictae ſunt *ioci*, quod latius nos perſecuti ſumus in Diſſert. I. de Auct. Fabul. Nov. Cap. I. §. 1. quia et earum dos etiam ſit *movere riſum*, ut ait Phaedrus, in Prol. lib. I. Quamobrem non *riſiſſe iocos*, ſed *riſiſſe ioco* ſcriberem. Syntaxis et metrum réciperent etiam *iocis*. Sed ego illud omnino praeferrem. Nam ſive hîc *iocus* ipſe Apologus eſt, ut ex his quae modo diximus probabile fit, ſive dictum argutum et lepidum, quod eo continetur, certe in ſingulari numero ſtatuendus videtur. Romulus porro non *ad quae dicta*, ſed *ad quod dictum*, quod το *ioco* eſt, retinet ac ſervat.

(*) Haec fabella occurrit etiam apud Romulum Rimicii lib. III. n. 11. certumque videtur ex iſtis verſiculis ſolutam atque interpretatam fuiſſe. Occurrit quoque apud Anonymum Elegiacum, qui Salo Parmenſis dicitur, et quamvis ſtilus et locutio diſcrepet, totius fabellae ratio tam ſimilis et par eſt, ut dubitari non poſſe

Hic e conſpectu quum patris (1) *receſſerat,*
Verberibus ſervos afficiebat plurimis,
Et exercebat ſervidam adoleſcentiam.
Aeſopus ergo narrat hoc breviter Seni:
Quidam iuvenco vetulum adiungebat bovem.
Is quum refugiens impari collo iugum,
Aetatis excuſaret vires languidas:
Non eſt quod ....as (2), *inquit, illi Ruſticus,*
Non ut l.b..... ..... (3), *ſed ut iſtum domes,*
...

poſſe videatur, quin ex Auctoris noſtri libello deſumta fuiſſet.

(1) *Quum patris.* Non quidem male; Sed ſatius fortaſſe ad ſyntaxim atque ad verſiculi numerum ſcriberetur *patris quum. Patris* autem, ut et pueri ſciunt, primam ancipitem habet, eamque revera produxit Ovidius in Ibin. v. 348. ſcribens:

Inque tui caeſus viſcera patris *eas.*

Propertius III. Eleg. 3. v. 29.

Ergo Muſarum, et Sileni patris *imago.*

Phaedrus fab. 6. lib. IV. v. 16.

Hic caede patris *Peliadum infecit manus.*

(2) *Non eſt quod .... as.* Scilicet *non eſt quod timeas*, quod exploratum eſt. Loco congrueret et *metuas*, idem ſane etiam ſententiâ, ſed veſtigia *timeas* non *metuas* luculenter indicant. Phaedrus autem fab. I. lib. II. v. 7.

Cui placidus ille: non eſt quod timeas, *ait:*

(3) *L.b.... .....* Legerem *labores facio.* Primum ex fragmentis, numeroque deficientium literarum certum plane videtur. Alterum etiam commode ex veſtigiis ſeſe prodit, ut ego de lectionis veritate non dubitarem. *Addo, iungo*, quod Romulus habet, loco et ſententiae non male congruerent, ſed ea nequaquam addicunt veſtigia. Illa porro verba rel et ſententiae conveniunt. Verum eſt *laborare* ſignificare plerumque affectionem quamdam in agente immanentem, ſed eſt etiam *operari*, *opus facere*, In opere ſeſe exercere, ad quam ſententiam hic ſumitur, et quae, ni fallor prima et ingenita fuit vocis poteſtas. Nam fieri plane videtur a Graeco ἐξεργεω ſeu ἐξεργαζομαι, ut ενεργεω. Propertius autem IV. Eleg. 3. v. 33.

Noctibus hibernis caſtrenſia penſa laboro.

Valerius Flaccus VI. Argon. v. 224. *Cultuſque laborat.* Plinius Proem. lib. XXIII. *Exme parata omnia, nec curvo* laboran-

... .nu (4) *multos reddit debiles.*
S.. tu ..ſi..tum (5) *tecum aſſidue retines,*
.....genium (6) *comprimis clementiâ:*

boranda, *ſed ſe porrigentia ultro*: Tacitus de morib. German. c. XLV. *Frumenta, ceteroſque fructus patientius quam pro ſolita Germanorum inertiâ* laborant. Tum Virgilius Georg. I. v. 325. Aen. II. v. 306. etc. *labores boum* dixit, quae boves laborârânt. Tandem Romulus ſcribit *non ut laboretis vos iungo*. Quoad *facio* vero nihil eſt, quominus genuinum habendum ſit; eius enim poteſtas latiſſime patet, neque Latinis verbum aliquod activae, quam vocant, ſignificationis eſt, quod per illud exprimi aliquando non poſſit.

(4) .....ce .....nu. Legerem *qui calce et cornu*, quae lectio genuina plane ac ſincera videtur. Certe quidem eam unam probant fragmenta, locus, ſententia, et metrum. Tum Romulus hic ſcribit: *quum per* calces *vagas et* cornua *aliquem laeſerit*, et paullo ſuperius: *vitulus vero* calce et cornibus *eiiciebat iugum a cervice*. Boves vero etiam calcitrant, ita ut inde adagium factum fuerit Graecis ac Latinis *adverſus ſtimulum calces*, quum boves eo altius a bubulco ſtimulis fodiantur, quo contumacius calcitrant. Demum *calx* ſingulari numero recte ad hanc ſententiam uſurpatur. Horatius II. Satyr. I. v. 55.

.. *neque* calce *lupus quemquam, neque dente petit bos.*

Ovidius III. Faſt. v. 755.

Ille cadit praeceps, et calce *feritur aſelli.*

Alfenus IX. Digeſt. Tit. I. *Mula* calcem *reiecit, et crus agaſoni fregit.*

(5) *S.. tu ..ſi ..tum*. Scribere *ſic tu niſi natum*, quae etiam explorata videntur. Hanc enim lectionem omnia poſtulant et recipiunt. Tum Romulus: Sic *oportet quemquam* filios *ſuos domare*. Phaedro autem plerumque filii *nati* dicuntur ut fab. 24. lib. I. v. 4. fab. 10. lib. III. v. 22 et 45. fab. 17. v. 11. etc. De veritate igitur lectionis dubitandum non eſt: Neſcio tamen an ſcribendum potius ſit ob verſiculi numerum: *Sic niſi tu natum*, vel etiam *Sic tu ni gnatum*, quae iudicio aurium potius probantur. *Gnatum* vero pro *natum* paſſim Scriptores habent, et Achilles Tatius Obſervat. c. XVIII. non Catullum modo, ſed ipſum Virgilium iſtud unum uſurpaſſe ratus eſt.

(6) ..... *genium*. Hic duo verba ſcripta fuiſſe videntur. Alterius hoc inſigne fragmentum ſupereſt, primi vero nullum praeter quaedam veſtigia initialis literae *E*. Legerem tamen *eiusque ingenium*, quod loco, fragmento,

..de ne (7) querela maior accreſcat domus: Atrocitati manſuetudo eſt remedium.

FABULA XII. num. 61.

AESOPUS ET VICTOR GYMNICUS.

Quomodo comprimatur aliquando iactantia.

Forte Victorem (1) gymnici certaminis Iactantiorem quum vidiſſet Aeſopus (2),

In-

to, ſententiae aptiſſime congruit. *Saevumque* locus non capit, et fragmentum reiicit. Hàc autem lectione *ingenium* ſumitur in malam partem; at id latinum eſt, unde proverbium illud *redire ad ingenium*, et Livius lib. II. c. 22. *Volſcis levatis metu, ſuum rediit* ingenium.

(7) .. *de ne*. Nempe *vide ne*, quod cuncta probant. Verum eſt ad metrum corripiendam eſſe alteram τε *vide*, ſed rite recteque id fieri poteſt. Valerius Flaccus lib. V. v. 595. ut non pauci legunt.

Incumbens Odryſſa mero, vide *lata comentem*.

Pectora.

Perſius Satyr. I. v. 107.

Auriculas. Videſis *ne maiorum tibi forte*.

Tum nemo neſcit etiam in *videne* ſeu *videſne*? mediam corripi, quod ſingillatim obſervavit Servius ad Virgilium Aen. VI. v. 780. Phaedrus tandem fab. 6. lib. III. v. 3. plane ad rem:

Videne dolone collum compungam tibi.

v. Part. I. n. 10.

(1) *Forte victorem*. Scribendum eſt *Victorem forte*. Nam ſecus in prima capitalis ille trochaeus offenditur, quamobrem ipſe Phaedrus vel numquam prorſus, vel ſemel tantummodo initio verſiculorum eam vocem collocavit.

(2) Verſiculus hic tum verbis tum ſententia eſt ſatis elegans, clauditur tamen ſpondaeo, qui in iſtà ſede peſſis eſt, ut aiunt, iamborum. Atque id quod vere crucem figit eſt, nullam aequam viam, rationemque probabilem adhuc apparere, qua lectio genuina inveniatur, vel veriſimilior. Si retinetur το *Aeſopus*, cetera verba ita convertenda ſunt, et immutanda, ut priorem verſiculi faciem vix agnoveris: Si contra το *Aeſo-*

pus

Interrogavit ampliuſne adverſarius (3)

pus reiicitur tum fabella principe perſonâ privatur, neque facile intelligitur quomodo ea in fabellam irreperit, niſi ex Auctore proceſſit. Quamobrem etiamſi recte ad metrum, atque ex Phaedriana ſimplicitate legeretur:

Iactantiorem quum vidiſſet vir ſophus.

idque plane ad rem eſſet, ſi de Philoſopho vetere ac eſophiſta ſermo haberetur; attamen lectionem ſinceram affirmare non auderem. Et quum το *Aeſopus* requiri in fabella videatur, doctique viri contendant neque poetarum licentiâ, neque neceſſitate metri, neque nominis ſingularitate, neque Comicorum exemplis licere ſpondaeum in ſexta ſede recipere: ego potius eius nominis loco ſcriberem *Phryx Sophus*, vel potius *Phryx Senex*, quod ipſam ſententiam commode ſervaret, atque ad vulgatas carminis leges recte procederet, ideoque etedi poſſet το *Aeſopus* ex Gloſſa atque interpretatione Grammaticorum intruſum fuiſſe. In fabellis autem quae Aeſopicae dicuntur, in fabellis in quibus *Aeſopus* paſſim inducitur recte, ni fallor, is vocati poteſt κατ' εξοχην *phryx ſenex*, vel *phryx ſophus*. Plerique ſane eum Phrygem dixerunt, inter quos ipſe Phaedrus Prolog. lib. III. v. 52. qui pleruмque etiam appellat *ſenem*, quemadmodum alibi etiam obſervavimus. Praeterea notum eſt graecum adagium; quod Suidas refert ex Aeſopi vita deſumtum μικκλον ο Φρυξ; necnon fabellas atque apologos Aeſopi κατ' εξοχην dictos fuiſſe ορυγιας λογους vel τα Φρυγος λογους V. Maximum Tyrium Differt. XXV. 2. et Ioann. Stobaeum Sermon. XLVII. Tandem ſi Ovidio XIII. Metam. v. 274. *Phryx pius* eſt *Aeneas*, IV. de Ponto 16. v. 18. *Phrygius ſenex* eſt *Antenor*, ſi Senecae in Hercul. Oet. v. 1077. eſt *Tantalus*, quidni in fabellâ noſtrâ *phryx ſenex* erit *Aeſopus*? At *phryx ſenex* auribus quodammodo eſt aſperum. Eſto. *Phryx ſophus* a ſtilo Phaedri atque Auctoris abhorrere videtur. Ceterum Docti potiora.

(3) Hic verſiculus ad receptas atque adſuetas carminis leges non procedit. Haberet enim in ſextâ dactylum vel creticum. Si quis in tertia amphibracum recipere mallet, rem quidem componeret, ſed animadvertendum ei eſt parciſſime omnino iſto pede eſſe utendum, qui tum ſolummodo retinendus videtur, quum verſiculus eo expuncto concidat plane, ac corrumpatur. At quum emendatio facillime ſeſe prodit, et aequa ratione ſe probat, quidni pedem reiiciemus, quem elaboratiores iambi numquam fortaſſe agnoverunt? Quamobrem ego potius loco τα *ampliuſne* reponerem *an plus*, et legerem:

In-

Valuiſſet ſuus (4). *Ille*: *ne iſtud dixeris*,
Multo fuere vires maiores meae.
Quod, *inquit*, *ergo*, *ſtulte*, *meruiſti decus*,
Minus valentem ſi viciſti fortior?
Ferendus eſſes, *forte ſi te diceres*
Superaſſe, *qui eſſet* (5) *melior viribus*.

FA-

Interrogavit an plus adverſarius.

quod ipſam priorem ſententiam ſervat, et metrum inſuper habet optimum. Tum ſyntaxis recta eſt. Cicero II. in Catilin. c. 6. Quaeſivi an *apud Leccam fuiſſet*. Plinius in Panegyr. c. 64. Interrogo *me identidem* an *audierim*. Iterum Cicero I. de Legib. c. 2. *Ex his alius alio* plus *habet virium*; et Plautus in Trucul. IV. 3. v. 3ſ.

Ancill. *Plus poteſt qui* plus valet:

Callicl. *Vir erat*, plus valebat, *vicit*, *quod petebat*, *abſtulit*.

Nullo tandem negotio TO *an plus* in *ampliuſne* tranſire potuit. Nam ex *anplus* factum fortaſſe *amplus*, hinc *amplius*, et quum interrogationis particula omnino requireretur acceſſit *ne*.

(4) *Valuiſſet ſuus*. Legendum eſt *valuiſſet eius*, vel *ſuus valuiſſet*. Nam ſecus trochaeus offenditur, qui verſiculum corrumpit. Equidem praeferrem primum. Nam *ſuus* ad Aeſopum quoque referri poſſet, quod ambiguitatem pareret. Tum nullo negotio alterum pronomen in alterum tranſire potuit. Ceterum vero *ſuus valuiſſet*, quum potiſſimum lectioni Codicis propius accederet haudquaquam damnarem.

(5) *Eſſet*. Reponendum eſt *fuiſſet*. Nam ſecus integro pede verſiculus truncus eſt. Emendatio autem eſt leniſſima, et facillime tempus pro tempore ſcribi potuit. Praeterea ſyntaxis etiam potior eſt, quum *meruiſti*, *viciſti*, *ſuperaſſet*, non *eſſet* poſtulent, ſed *fuiſſet*.

FABULA XIII. num. 64.

ASINUS AD LYRAM.

Quomodo ingenia ſaepe calamitate intercidant.

Aſinus iacentem vidit in prato lyram.
Acceſſit, (1) tentavit chordas ungulâ;
Sonuere tactae. Bella res mehercules
Male ceſſit, ait, artis quia ſum neſcius (2).

Si

(1) Hoc loco interponerem particulam *et*, tum quod eam ſententia egregie recipit, tum potiſſimum quod ſecus totius verſiculi metrum nequaquam conſtat.

(2) Verſiculus pedibus ſuis haud recte conſtat, niſi in voce *quia* producatur ſecunda. Ritene autem id fieri poſſit vehementer ambigitur. Perſpicue ſane apud Phaedrum legitur lib. I. fab. 5. v. 7.

Ego primam tollo nominor quia
Leo.

Quamobrem haud pertinaciter contenderem ſollicitandum eſſe fabellae noſtrae locum. Attamen non pauci Interpretes doctiſſimi Phaedrianam lectionem corruptam rati ſunt, et quiſque, ut viſum eſt, illam ſtuduit emendare. Praeterea Scriptores reliqui plerique omnes, et ipſe Phaedrus alibi, alteram *τὸ quia* perpetuo corripuerunt, et ſi Auſonius Carm. VIII. in Profeſſ. Burdig. v. 7. eam producere viſus eſt; id certe fecit ratione caeſurae, quemadmodum obſervavit etiam Voſſius de Art. Gramm. lib. II. c. 24. Quin ſi et alia ex cauſſa feciſſet haud gravis auctoritatis eius exemplum fuiſſet, quum ea aetate vixiſſet Auſonius, qua in veteres proſodiae regulas non leviter Poetae peccarent. Quamobrem erit fortaſſe ſatius, ſi *ait* tantummodo in *inquit* immutato, emendatione leviſſima metrum optimum, et numeroſior verſiculus comparetur. Verba ipſa plane ſententiâ ſunt, et ea idcirco, quae nullo negotio permutari invicem potuiſſent. Tum Phedrus vix ſexies in omnibus libellis ſuis *τὸ ait* uſurpat, *inquit* vero fere quinquagies. Tandem haud videtur Scriptorem diligentem eâ licentia uti voluiſſe qua potiſſimum tam facile abſtinere potuiſſet. V. Hoogſtratanum ad fab. 5. lib. I. v. 6. et ad fab. 10. lib. III. v. 3. Quid vero ſi totus fabellae locus interpungatur ac legatur hoc pacto? . . .

Si reperiſſet aliquis hanc prudentior,
Divinis aures oblectaſſet cantibus.
Sic ſaepe ingenia calamitate intercidunt.

FABULA XIV. num. 66.

MULIER VIDUA, ET MILES (*).

Quanta ſit inconſtantia et libido mulierum.

Per a.iquot . nnos (1) quaedam dilectum virum . miſit (2), et ſarcophago corpus condidit;

. quo.

. . . Bella res mehercules! Sed male ceſſit, ait, artis quia tum neſcius.

(*) Haec fabella quoad ſubiectam quidem materiam non ignota, ſed iampridem longe celebris fuit ac late vulgata. Eleganter etiam hiſtoriolam narravit in Satura ſua c. 110. etc. Petronius Arbiter; iisdem inde verbis mutuatam Ioannes Sarisberienſis in Policratic. lib. VIII. c. 11. edidit: tum S. Evremontius gallice vertit in Oeuvr. meles Tom. II. §. IV. pag. 23. et Ioannes Fontanus inter ceteras fabellas ſuas lib. XII. n. 20. politis verſibus expreſſit. Solutis vero atque interpretatis, ut plane videtur, Auctoris noſtri verſiculis apud utrumque Romulum legitur n. 20. apud Salonem Parmenſem n. 50., et Anonymum quemdam fabulatorem, quem Nicolaus Rigaltius Praef. in Phaed. edit. 1599. adducit. Quin vero latius quoque hiſtoriolam eſt proſecutus Auctor Romanenſis fabulae quam ſeptem Sapientes inſcripſit, Maximus Planudes fabellam ſimilem Aeſopo attribuit, quamdam eius ſpeciem Franciſcus Volterius in Zadig expreſſit, et Petrus Iacobus Martellius abſolutum Comoediae thema eſt mutuatus in *Seguito del Teatro Ital. Com. Che bei pazzi*.

(1) *Per a. iquot . nnos*. Nempe *per aliquot annos*, ut palam eſt. Romulus vero Nilantii hunc loquendi modum ſuis fortaſſe temporibus aptans ſcripſit: *Iam dudum quaedam femina*.

(2) . *miſit* . Nempe *amiſit*, quod unum ſententia probat: *omiſit* ad rem non eſt. Honeſte vero atque eleganter *amitti* dicuntur, qui nobis cariores mortem obeunt. Cicero

. quo... velli (3) *nullo quum posset modo,*
Et in sepulcro lugens vitam degeret,
Claram assequuta est famam castae virginis.
Interea fanum qui compilârant Iovis,
Cruci suffixi luerunt (4) *poenas Numini.*
Horum reliquias ne quis posset tollere,
Custodes dantur milites cadaverum,
Monumentum iuxta, Mulier quo se incluserat:
Aliquando sitiens unus de custodibus,
Aquam rogavit mediâ nocte ancillulam,

Quae

ro IV. Famil. Epist. 6. *Q. Maximus qui filium Consularem* amisit. Atque alii passim. Quin Plinius Caecilius ad unam fere huiusmodi sententiam saepissime in Epistolis suis vocem usurpat. Demum Romulus Rimicii scribit: *Femina quae* amiserat *Virum*.

(3) . *quo . . velli* . Legerem *a quo revelli*. Non male quidem reponi posset *a quo divelli*: Nam satis eleganter istud etiam verbum usurpari ad propositum videtur. Sallustius in Catil. c. 50. : *Divellere liberos a parentum complexu*. Virgilius Aen. VIII. v. 568. : *dulci amplexu divellerer*. Horatius Carm. I. Od. 36. v. 19 : *Nec Damalis novo divelletur adultero*. Attamen *revelli* genuinum dicerem, quum ipsum non alterum probent Codicis vestigia. Tum Auonymus Fabulator elegiacus scribit: mulier *nequit hac de sede* revelli. Praeterea idem Virgilius Aen. IV. v. 544. ait,

An Tyriis omnique manu stipata meorum
Insequar? Et quos Sidonia vix urbe revelli,
Rursus agam pelago?

Ovidius VI. Fastor. v. 513. :

Iniiciuntque manum, puerumque revellere *tentant*.

Statius denique III. Theb. v. 375.:

Quam durunt natis, thalamo quam triste revelli,
Quam Patria.

(4) *Luerunt*. Sic quidem in Codice scriptum est, et prorsus recte. Nam praeterquamquod istud verbi tempus sententia probat, metrum est optimum. Penultima verborum in *erunt* passim a Scriptoribus corripitur, veluti a Tetentio Prolog. Eunuch. v. 20. Virgilio Eclog. IV. v. 61. Aen. II. v. 774. X. v. 334. ipso Phaedro fab. 19. lib. IV. v. 1. fab. 20. v. 16. etc. et aliis pluribus.

Quae ſorte Dominae tunc adſiſtebat ſuae;
Dormitum eunti, namque lucubraverat,
Et uſque in ſerum vigilias perduxerat:
Paullum recluſis foribus Miles proſpicit,
Videtque aegram, et (5) facie pulchrâ feminam.
Corruptus animus illico ſuccenditur,
Uriturque ſenſim impud..... cupid... (6).

Sol-

(5) *Et*. Legerem omnino *ſed*, quod genuinam ſententiam, et iuſtum metrum verſiculo reddit. *Et* ſane utrumque corrumpit. Quam facile porro alterum in alterum abire potuerit nemo non videt.

(6) *Impud..... cupid...* Reponerem *impudicitiae cupidine*. Nil enim potius iſta fragmenta, deficientium literarum numerus, et nonnulla quoque earum veſtigia poſtulare videntur. Verba porro probatae notae ſunt. Plautus Amphitr. II. 2. v. 189. *Tu ſi me* impudicitiae *captas non potes capere*, in Perſa II. 2. v. 11. *ut ſoleat opprobrari* impudicitia. Tacitus Ann. V. c. 3. impudicitiam *nepoti obiectabat*. Idem de *cupidine* dicas, cuius exempla Ovidius IV. Metam. v. 346. XIV. v. 634. Faſtor. V. v. 119. Virgilius IV. Aen. v. 194. aliique plures ſuppeditant. Quamobrem verſiculus, qui ex Codicis fide proferri videtur, nempe:

Uriturque ſenſim impudicitiae cupidine.

tum ratione ſententiae, tum proprietate verborum recte, ni fallor, procedit. Sed quid dicemus, quum graviſſime in regulas carminis peccet, et exploratum propterea videatur a Grammaticis interpolatum ac corruptum fuiſſe? Ego quidem non dubito quin verſiculus emendatione egeat, ſed eam difficillimam fateor, ita quidem ut remedium ipſo malo gravius plerumque futurum arbitrer. Interea tamen quum verba potius metro cedere debeant, legi non abſurde poſſet:

Senſim uritur impudicitiae cupidine.

vel reiecta particula *ſenſim*, quae quamvis alias defendi maxime poſſit, a τῷ *illico* tamen excludi videtur:

Et uritur impudicitiae etc. aut *uritur et* etc.

Tum iterum

Uritur et ſenſim impuritiae cupidine

vel etiam *Et ſenſim uritur* etc. *Impuritia* autem eſt obſcena impuritas, et ipſa *impudicitia*. Plautus Perſa III. 3. v. 7.

. . . . *trecentis verſibus*
Tuas impuritias *traloqui nemo poteſt.*

Quid tandem ſi legatur:

Senſim impudico et uritur cupidine.?

Docti potiora.

Sollers acumen mille ..uſſas .....it (7),
Per quas videre poſſit ...am ſaep ... (8).
Quotidiana capta conſuetudine (9),
Paullatim facta eſt adv.... (10) *ſummiſſior;*
Mox arctiore vinxit ..imum ..pula (11).

Hic

(7) *..uſſas . . : . . it*. Scriberem *cauſſas invenit*, quod cuncta probant. Terentius Heaut. V. 2. v. 36. *Poſtquam eſt inventa vera*, inventa *eſt* cauſſa, *qua te expellerent*. Publius Syrus Fragm. Sentent. v. 174.

Malefacere qui vult nunquam non cauſſam invenit.

Reponi autem etiam potuiſſet pro *invenit*, *reperit*, utpote loco et ſententiae non male congruens, ſed illud quidem, non hoc Codicis veſtigia addicunt. Praeterea quamvis fatear Scriptores diſcrimen inter *invenio* ac *reperio* non ſemper ſervaſſe, pro *excogitare* et *comminiſci*, *invenire* potiſſimum uſurparunt unde *inventum*, et *inventio*, vox ita Rhetoribus familiaris.

(8) . . . *am ſaep* ... Nempe *illam ſaepius*, quod certum eſt ex fragmentis, loco, ſententiâ, veſtigiis. Tum Romulus Rimicii: *Rediit* (miles) *et conſolatur eam, iterum id fecit et tertio. Et* . . . ſaepe *convenit: quumque frequentaret* (miles) *viſitare feminam*.

(9) Is verſiculus commode ad metrum procedit. Nam erſi *quotidiana* ſecundam ſyllabam naturâ corripiat, Poetarum tamen licentiâ ſaepe producit. Tum ſententia obſcura plane non eſt, quum *το capta* rem ad feminam ſpectare ſatis aperiret. Attamen fatendum eſt ſyntaxim haud videri plane rectam et probatam. Nam το *capta* ſolum et ſeparatum a ceteris eſt, quibus rite conſtrui poſſit. Quamobrem, ſin minus ex verſiculo excidiſſe aliquid pertinaciter contenderem, putarem tamen rectius fieri, ſi *quae* vel *haec* interponatur, et ſcribatur: *quae quotidiana* etc. vel *quotidianâ capta haec* etc.

(10) *Adv....* Scriberem *advenae* quod exploratum eſt. Nam fragmentum, numerus deficientium literarum, metrum, ſententia id unum probant. Miles autem rectiſſime *advena* dicitur; nam *advenae* ſunt qui aliunde veniunt, et *inquilinis* opponuntur. Mulier autem monumentum, ut domum incolebat.

(11) *..imum ..pula*. Lego *animum copula*, quod veſtigia etiam luculenter probant; tum Anonymus Elegiacus:

Hunc amor ipſe ligat, *fractumque ligarit amorem*.

Horatius autem I. Carm. Od. 13. v. 18.

Felices ter et amplius,
Quos inrupta tenet copula,
nec malis *Di*

Hîc dum conſumit noctes miles diligens,
Deſideratum eſt corpus ex una cr... (12):
Turbatus miles factum exponit mul.... (13):
At ſancta mulier: non eſt quod tim.....(14),
Virique corpus tradit figendum cruci,
Ne ſubeat ille poenas negligentiae.
Sic turpitudo laudis obſedit locum.

Divulſus querimoniis;
Suprema citius ſolvet amor die.

(12) *Ex una cr...* Scilicet *ex una cruce*, ut palam eſt. Romulus Rimicii: *ſubtrahitur ille qui pendebat in* cruce. Petronius c. 113. Satur. *At miles circumſcriptus dum reſidet poſtero die vidit* unam *ſine cadavere* crucem.

(13) *Factum exponit mul...* Nempe *factum exponit mulieri*, ut quiſque videt. Petronius loc. cit. *Mulieri quod accidiſſet exponit.*

(14) *Quod tim ... ...* Legerem *quod timeas, ait.* Nam quamvis nulla ſuperſint veſtigia, fragmentum tamen, et ſententia id unice poſtulare videntur. Auctor autem, ut vidimus, fab. XI. v. 9. ſcripſit: *non eſt* quod timeas, inquit. Et Phaedrus, ut ibi etiam retulimus fab. 1. lib. II. v. 9. ipſum *non eſt quod timeas, ait.*

FABULA XV. num. 78.

DUO IUVENES SPONSI DIVES ET PAUPER.

Fortunam interdum praeter ſpem atque expectationem hominibus favere.

Unâ expeteb... Vir...em (1) Iuvenes duo,
Vicit Locuples (2) genus et formam Pauperis,
Ut nuptiarum dictus advenit dies;
Amans dolorem quia non poterat perpeti,
Moerens propinquos contulit ſe in hortulos:
Quos ultra paullo villa ſplendidi Divitis (3)
Erat

(1) *Expeteb... vir...em* Nempe *expetebant Virginem*, quae omnia probant. Ovidius autem XIII. Metam. v. 740.:

Te tamen, o virgo, genus haud immite virorum
Expetit.

et IX. v. 48.

Non aliter fortes vidi concurrere tauros,
Quum pretium pugnae toto nitidiſſima ſaltu
Expetitur *coniux*.

(2) *Locuples*. Huius vocis media producenda eſt, quo verſiculi metrum conſtet. Equidem fateor paſſim penes pleroſque prorſus Scriptores eam corripi, ſed quum ex latinae Proſodiae legibus exploratum ſit poſſe produci, et Horatius II. Carm. Od. 18. v. 22. ſcripſerit

Parum locuples *continente ripâ*.

nullo pacto egregiam ceterum Codicis lectionem ſollicitarem. Quod ſi vero ea ſyllabae productio videatur plane in iambis inſolens, quid ſi ante *genus* addatur tantummodo particula *et*? Tum omnia plana. Atque ad rem omnino Horatius Epiſt. I. 6. v. 37.

Et genus et formam *regina pecunia donat*.

Et II. Satyr. 5. v. 8.

Et genus *et virtus niſi cum re vilior alga eſt*.

(3) Is verſiculus graviter in leges carminis peccat, ſive dactylus in ſextâ ſede, ſive bacchius in quintâ agnoſcatur. Non negaverim nonnullos verſus iambicos offendi, qui bacchium receperint, ſed ii vitioſiſſimi iambi ſunt, in quos licentiâ ſuâ vix aliquando Comici excurrerunt; nec umquam ille pes, in ceteris iambis, qui ab illis longe diſtant,

Erat acceptura Virginem e matris ſinu;
Parum ampla in urbe viſa quod fuerat domus.
Pompa explicatur, turba concurrit frequens,
Et coniugalem praebet Hymenaeus facem.
Aſellus autem, qui ſolebat pauperi
Quaeſtum ferre (4), ſtabat portae in limine.
Illum puellae caſu conducunt ſuae,
Viae labores teneros ne laedant pedes.
Repente coelum, Veneris miſericordiâ,
Ventis movetur, intonat mundi fragor,
Noctemque denſis horridam nimbis parat;
Lux rapitur oculis, et ſimul vis grandinis

E.

eſt receptus. Quamobrem in *ru splendidi* poſtremo *i* in *a* tantummodo immutato, omnino legerem:

Quos ultra paullo villa splendida Divitis

quâ omnium leniſſimâ emendatione metrum optimum verſiculo reſtituitur, et genuina etiam, ni fallor, lectio. Nam ut *ſplendidi* frigidum plane eſt atque inopportunum, ſic contra *ſplendida* opportunum eſt, atque ad propoſitum facit. Villa quae ad nuptias exornatur recte atque eleganter dicitur *ſplendida*. Ad rem non abſimilem Virgilius Aen. 1. v. 641.

At domus interior regali ſplendida *luxu*
Inſtruitur.

Cicero Parad. v. 2. *Reviviſcat M. Curius. aut eorum aliquis quorum in villâ ac domo nihil* ſplendidum, *nihil ornatum fuit praeter ipſos.* Et propius Catullus in Epithalamio Pelii et Thetidis Carm. LXIII. v. 46.

Tota domus gaudet regali splendida *gazâ.*

(4) *Quaeſtum ferre.* Scribendum omnino videtur *quaeſtum referre.* Secus enim totum verſiculi metrum concidit, quum Codicis lectione retentâ trochaeus in eo offendatur, et integer pes deſideretur. Praeterea *quaeſtum referre* eſt *proventum reddere* opere, labore, induſtria, fructu. Sic Columella lib. 1. de R.R. c. 3. *Maiores quaeſtus referre* ſcripſit; tum lib. VIII. c. 8. et 9. *quaeſtum uberem referre.* Atqui huius ſententiae verbum in fabellâ requiritur, et revera aſellus ad ſponſam portandam conducitur.

E. fuſa . . ep . d . s (5) . . . . . *d. s . . p . .* (6)

k *Si-*

(5) *E. fuſa . . ep. d. s.* Legerem *effuſa trepidos*, quod exploratum videtur. Nam nihil potius iſta fragmenta, locus, ſententia recipiunt et probant. Grando autem proprie et elegantер ad propoſitum *effuſa* dicitur. Livius lib. XXVIII. c. 37. *Tanta vis lapidum, creberrimae grandinis modo, in claſſem* effuſa *eſt*. Tum aeque recte dicuntur *trepidi* qui nuptialem pompam comitabantur, quum pavore ſtrati, trepidantes, ac feſtini huc illuc diffugerent.

Virgilius lib. XII. Aen. v. 587.

Incluſas ut quum latebroſo in puniice paſtor
Veſtigavit apes, fumoque implevit amaro:
Illae intus trepidae *rerum per cerea caſtra*
Diſcurrunt, magniſque acuunt ſtridoribus iras.

et lib. VII. v. 514.

Tartaream intendit vocem (Alecto), *qua protinus omne*
Contremuit nemus . . . .
Et trepidae *matres preſſere ad pectora natos.*

Tum Phaedrus fab. 5. lib. II. v. 2. Trepide *concurſans*. Et fab. 16. lib. III. v. 19. Trepidantem *conſectata eſt*. Atque alii paſſim ſimilia.

(6) . . . . . *d. s . . p.* Hoc loco tria iuſtae longitudinis verba fuiſſe videntur. Poſtremum dubio procul eſt *diſſipat*, quum fragmenta, et numerus deficientium literarum id unum probent. Tum ſententia egregie recipit, atque uſus Scriptorum firmat. Caeſar VII. B. Gall. c. 34. Diſſipare *ac perterrere hoſtes*. Hirtius lib. VIII. eiuſdem Bell. *magna parte amiſſâ ſuorum* diſſipantur *in finitimas civitates*. Livius lib. VII. Bell. Pun. Diſſipati *fuga per agros*. Primum vero, et ſecundum ex coniecturâ pendent, quum hoc praeſertim nullis veſtigiis indicetur. Attamen primum ad ſex fere literas abibat, ſecundum ad ſeptem circiter, modo unâ voce, quod ignorum eſt, tantum conſtiterit. Quomodo ergo hemiſtichium legemus? Sententiâ ſpectatâ non male, ut puto, ſcriberetur *urget atque diſſipat*, quum *urgeo* praeter *impellendi* vim, perſequendi et inſectandi etiam habeat poteſtatem. Cicero pro Plancio: *Etiam atque etiam inſto, atque* urgeo, *inſector, poſco, atque adeo flagito crimen*. Horatius Epod. XVII. v. 25. Urget *diem nox, et dies noctem*. Propertius lib. II. Eleg. 20. v. 35. *Saevus licet* urgeat *Eurus*. Sed *atque* non recte loco congruit. *Eoſque* ſatius eſſet, ſed nec genuinum dicerem, tum quia Codicis lectio videtur adhuc fuiſſe longiuſcula, tum maxime quod ante *diſſipat* ſaris clare *s* cernitur, unde perſpicuum fit eam iſto elemento fuiſſe finitam. Quin ut fatear ipſum *urget*, ſin minus a veſtigiis Codicis plane reiicitur

Sibi quemque cogens pet. r. praeſi. iu. fug. (7). Aſellus notum p.. xim..... s. b.. (8),

Et

tur, minime vero probatur ac recipitur. Quamobrem ego longe potius reponerem *pulſat, et omnes diſſipat*, quae loco ad amuſſim congruunt, et metrum ſervant. *Puiſat* vero praeterquamquod magis a veſtigiis innuitur, quam *urget*, *tundit*, arque alia huiuſmodi, ex proprietate verbi uſurpatur. Ovidius Metam. VI. v. 692.

Induroque nives, et terras grandine pulſo.

Et de Ponto 1. Epiſt. 8. v. 12.

Nos premat aut bello tellus, aut frigore coelum,
Truxque Getes armis, grandine pulſet *hiems*.

Virgilius IV. Aen. v. 248.

Atlantis cinctum aſſidue cui nubibus atris
Piniferum caput et vento pulſatur *et imbri*.

Omnes porro inde potiſſimum tenerem, quod ſatis luculenter a ſequenti *quiſque* innuitur, atque indicatur. Tum vero *omnes* prorſus, qui pompam ſequebantur diffugerunt, ita ut virgo ſponſa, quae omni diſpendio comitanda videbatur, ſola, relicta a cunctis ad pauperis hortulos pervenerit.

(7) *Pet. r. praeſi. iu. fug.* Scilicet *petere praeſidium fugae*, quae explorata et genuina lectio videtur. Loco *fugae* ſcribi poſſet etiam *fugâ* quum Auctor Rheror. ad Herenn. IV. c. 24. ſcribat: *aliqua ex honeſta re ſibi praeſidium petere*. Et c. 19. *Quaerere ſibi praeſidia periculis, et adiumenta honoribus*, atque alia ſimilia: At neſcio quomodo mihi magis probetur *fugae*. Cerre quidem Cicero 1. de Orat. c. 38. dixit: *Naturae, vel doctrinae praeſidiis omnibus ad dicendum parati viri*: Pro Muren. c 22. *Innocentiae leve eſt praeſidium*; Et propius Columella lib XII. de R.R. c. 50. *Ubi exeſa vermiculis oliva decidit ad praeſidium aquae calidae decurritur*.

(8) P.. *xim* ..... *s. b*.. Reponerem *proximum tectum ſubit*: quorum verborum primum, ut quiſque per ſe ſtatim colligit, exploratum eſt, tertium aeque certum, quum illa fragmenta, numerus deficientium literarum, metrum, ſententia illud unum recipiant, medium vero magis coniecturâ pendet, quum fere plane deletum ſit: ſed ea, ut arbitror, graviſſima eſt: Nam praeterquamquod locus egregie verbum recipit, et veſtigia, quaequae ſuperſunt, innuunt, ſententia, et vocis proprieras magis magiſque probant. Eſſet *locum*, ſed ceteris omiſſis vox nimis generica eſt, et parum elegans in ſcitiſſimâ fabellâ. Eſſet *villam*, aut *domum*, ſed hîc non de divite, ſed de paupere agitur, qui non *villam* vel *domum*, ſed *hortulos* habuiſſe dicitur: Tum ſcriptum *notum* non *notam*. Caeſar autem 1. Bell. Gall. c. 36. *Qui intra annos*

Et voce magna ſeſe veni... em ..... (9).
Procurrunt pueri p..c.. am ..ffi..... (10),

nos quatuordecim tectum *non* ſubiiſſent. Virgilius lib. VII. Aen. v. 668. *Sic regia* tecta ſubibat. Ovidius XIV. Metam. v. 250. Et tecta *ignota* ſubire. Aliique paſſim ſimilia.

(9) *Veni... em .....* Hic duo verba fuiſſe videntur. Primum, omnibus ſpectatis, eſt *venientem*, alterum vero coniecturâ reponendum eſt, quum nulla prorſus veſtigia eius vel fragmenta ſuperſint. Non male quidem ad ſententiam ſcriberetur *prodidit*, quum Plinius lib. IX. hiſt. nat. c. 10. dixerit: *Teſtudines ſumma in aqua obdormiſcere, id* prodi *ſtertentem ſonitu*. atque alii ſimilia habuerint, ſed vox ceterorum verborum ſyntaxim non ſervat, et metrum verſiculi corrumpit. Ideo longe ſatius ego reponerem *indicat*, quod rectam ſyntaxim, et iuſtum metrum praeſtat, ſententiâ vero et poteſtate ad propoſitum facit. Nam *indicare* non eſt ſolummodo innuere, et leviter aperire, ſed ſaepius eſt clare et luculenter manifeſtare, pandere, oſtendere, quo ſenſu hîc ſumitur. Cicero III. de Orat. c. 51. *Epularum ſolemnium fides ac tibiae, Saliorumque* verſus indicant: Pro Muren. c.25. *Catilina, qui ſemper fuit apertiſſimus, non ſe purgavit, ſed* indicavit, *atque induit*: De Univerſ. c. 2. Indicare *aliquid in vulgus*. Phaedrus fab. 15. lib. I. v. 3.

Id eſſe verum parva haec fabella indicat.

Cornelius Nepos in Attic. c.4. *Quem diem* (reditus Attici Romam) *ſic univerſa Civitas Athenienſium proſecuta eſt, ut lacrimis deſiderii futuri dolorem* indicaret. Donatus tandem ad Prolog. Adelph. Terentii v.4. Indicat *is*, ait, *qui de ſe volens aliquid, et de aliis etiam prodit*.

(10) *P.. c.. m . ffi ....* Reponerem *pulchram affirmant virginem*, quorum verborum primum praeter cetera ex ipſis veſtigiis eſt certum: Idem de altero tenendum videtur. Nam praeterquamquod et fragmento et loco congruit, rei quoque eſt opportunum. Cicero XIII. Epiſt. ad Attic. 23. *omni tibi aſſeveratione* affirmo. Phaedrus fab. 17. lib. I. v. 4.

Lupus citatus teſtis non unum modo (panem)
Deberi dixit, verum affirmavit *decem*.

et fab. 3. lib. III. v. 9.

Ille autem affirmat *coniugem eſſe adulteram*.

Poſtremum vero, ſin minus fragmentis et veſtigiis, quae nulla ſuperſunt, ſaltem ita belle a ſententiâ indicatur, ut vix de eius genuinitate dubitari poſſe videatur. Certe quidem hîc de nova nupta agitur, quae non ſemel ſuperius, ut aequum erat, *virgo* dicta eſt, quomodo

Et admirantur, ...de (11) *domino nuntiant.*
Inter ſodales ille paucos adcubans,
Amorem crebris avocabat poculis.
Ubi nuntiatum eſt, recreatus gaud... (12);
Hortante Baccho et Venere, dulces perf.... (13)
Aequalitatis inter plauſus, nuptias.
Quaerunt parentes per praeconem filiam,
Novus maritus coniuge amiſſa dolet.
Quid eſſet actum poſtquam populo innotuit,
Omnes favorem comprobarunt Coelitum.

FABULA XVI. num. 83.

AESOPUS, ET DOMINA.

Aeſopus turpi quum ſerviret feminae,
Quae ſe expingendo (1) *totum intricabat d... (2);*
Ve-

do autem modo dicemus? *Mulierem, feminam?* At neſcio an quis ſerio id dicere auderet.

(11) *....de*. Legerem *deinde*, quod fragmentum, locus, et ſententia egregie, et unice, ni fallor, probant.

(12) *Gaud...* Legerem *gaudiis*. Faceret etiam ad rem *gaudio*. Sed illud non hoc veſtigiis Codicis addicitur. *Gaudiis* vero rectiſſime uſurpatur. Cicero I. Catil. c. 26. *Hîc tu quâ laetitiâ perfruêre, quibus gaudiis exſultabis?* Ovidius VII. Metam. v 512.

.. Adveniens equidem modo
gaudia *coepi*.

Et propius ad rem Statius I. Silv. 2. v. 46.

Sed quae cauſſa thoros, inopinaque gaudia *vati*
Attulit.

(13) *Perf....* Nempe, *perficit*, quod fragmentum, metrum, ac ſententia poſtulant. Recte autem nuptiae *perfici* dicuntur, quum eas iam pauper iuvenis amando, atque expetendo virginem in uxorem, iniiſſet.

(1) *Expingendo*. Sic omnino in Codice ſcriptum eſt. *Expingo* proprie eſt ipſum *pingo*, vel *graphice pingo*. Plinius lib. XXXV. c. 7. *Quoniam et periculo-*

Veſtes (3), *uniones*, *aurum*, *argentum ſum* .... (4), *Nec inveniret digito qui ſe tangeret.*

niculu expingimus, *ne quis miretur*, *et rogos pingi*. In Fabella vero eſt *fuco oblinire*, *pigmentis*, *coloribus tingere*. Verum quidem verbum paſſim in Lexicis ad eam ſententiam non adnotari, ſed aeque verum et ſenſu probatum et latinum habendum eſſe. Nam ſi Virgilius Eclog. VI. v. 22. ſcripſit.

Sanguineis frontem moris et tempora pingit.

Ovidius I. Am. Eleg. 14. v. 52.

Ingenuas picta *rubore genas*,

Seneca in Hippolit. v. 650.

Et ora flavus tenera pingebat *pudor*.

Phaedrus fab. 2. lib. II. v. 8.

Qui ſe putaret pingi *curâ mulierum*.

Cur *pingere* vel *expingere* genas, faciem fuco, coloribus dici recte et latine nequit? Praeterea *pigmentum* vocabulum eſt huic rei veluti proprium ac ſolemne: Plautus Moſtell. I. 3. v. 106.

Non iſthanc aetatem oportet pigmentum *ullum adtingere*,
Neque ceruſſam, *neque melinum*, *neque ullam aliam ofuciam*.

Et Plinius lib. XVI. c. 43. *Portentoſis ingeniis principatu Neronis inventum*, *ut* pigmentis *perderent ſe*. Atqui *pigmentum* a *pingo* eſt. Tum Lucilius VII. Satyrarum lib. apud Nonium voc. *deſquamat* ſcripſit:

. . . *ſuppellor*, *desquamor*, *pumicor*, *ornor*,
Expilor, pingor:

Quin vero omnino ad rem Martialis lib. VIII. Epigr. 32.

Dum iuſſus repetit pilos eoſdem,
Cenſurâ ſpeculi manum regente,
Expingitque cutem, *facitque longam*
Detonſis epaphaereſin capillis,
Barbatus mihi tonſor eſt reverſus.

Et lib. VII. Ep. 82.

Eutrapelus tonſor dum circuit ora Luperci,
Expingitque genas, *altera barba ſubit*.

Non negaverim quidem multos loco *re expingit*, legere *expungit*. At id inepte faciunt. *Cutis enim ac genae* nec latine nec recte *expungi*, deleri, *revelli* dici poſſunt; et ſi de pilis intelligatur id falſum eſt. Nam tonſor hic radit, non avellit pilos:

Dum iuſſus repetit pilos eoſdem.

Neque porro ſi de corporis deglabratione, quae non paucis placebat, verbum ſumendum eſſet epigrammatum argutia amplius conſiſteret. Tandem Tertullianus, qui ſaeculo fere poſt Martialem florebat *De Cultu Feminar.* ſcribit: *Thamar* ſe expinxerat *et ornaverat*; Et *De habit. Mulier. Si impudicarum ritu procedatis cultae*, *et* expictae.

(2) *Totum intricabat d* . . . Scilicet *totum intricabat diem*, quod ex ipſis veſtigiis Codicis plane eſt exploratum; neque alia de cauſſa in textum

Licetne paucis, inquit? Dicas. Cenſeo,
Quidvis efficies cultum ſi depoſueris.
Adeone per me videor tibi meliuſcula?

Imo

to diem receptum non eſt, quod evanidae, quamvis certae, eſſent literae. *Intricare* autem *diem* eſt *diem impendere*, *inſumere*, *perdere*. Adhuc quidem huiuſce loquendi modi exemplum non occurrit; ſed quis propterea eum minime latinum et probatum dixerit? Certe quidem, ſi ſingula quae legimus, tum probata habenda eſſent, quum exemplis aliorum librorum firmentur, nullus fere eſſet Scriptor, qui totus genuinus dici poſſet. Quod ſi Auctores principes lubenter dicunt: *agitare diem*, *diffindere*, *diſperdere*, *incidere*, *lacerare*, *onerare*, *involvere*: cur *intricare diem* rite recteque non uſurpabitur? Quin immo ſententiâ ac verborum proprietate ſpectatâ plane elegans mihi videtur iſte loquendi modus. *Intricare* enim eſt *tricis impedire*, *involvere*, *detinere*. *Tricae* vero dicuntur etiam ineptiae et res nihili: Plautus Rudent. V. 2. v. 34. Gr. *Quid dare velis.... eloquere propere celeriter*. La. *nummos trecentos*. Gr. Tricas. La. *quadringentos*. Gr. *Tramas putridas*. La. *quingentos*. Gr. *caſſam glandem*. Et Martialis lib. XIV. Epigr. 1.

Sunt apinae, tricaeque, *et ſi*
quid vilius iſtis.

Praeterea *tricor* ad tempus etiam refertur: et *tricari*, ait Nonius Cap. I. eſt interdum *morari*. Sic Cicero ad Attic. XV. Epiſt. 13. *Vectenum accuſat*, tricatur *ſcilicet*, *ut homo talis*. Quamobrem *intricare diem* eſt *tricis*, *ineptiis*, *morulis impedire*, *involvere*, *abſumere*. Quid autem ſatius ad propoſitum? In Epigrammatis autem Martialis paullo ſuperius ſententiam ſimilem vidimus.

(3) *Veſtes*. Legendum *veſtem*. Secus enim metrum nequaquam conſtat. *Veſtis* autem ſingulari numero ad multa veſtimenta ſignificanda non modo egregium eſt, ſed plane elegantius, et unice, ut ita dicam, uſurpatum. Plaut. Curcul. II. 3. v. 69. *Mulierem a Lenone cum auro et* veſte *abducere*. Cicero VII. Verr. c. 56. *Ad deprecandum periculum proferebant alii purpuram Tyriam*, *tus alii atque odores*, veſtemque *lineam*. Et I. de Orat. c. 35. *Tamquam in aliquam locupletem ac refertam domum venerim*, *non explicata* veſte, *neque propoſito argento*. Phaedrus propius etiam ad rem lib. IV. fab. 4. v. 21.

Seponit moechae veſtem, *mundum muliebrem*,
Lavationem argenteam, *Eunuchos*, *glabros*.

et v. 35.

Veſtem, *uniones*, *pediſequos*, *et cetera*.
Illi adſignate, *vitam quae luxu trahit*,

No-

Imò, niſi dederis, ſponda ceſſavit tua (5):
At non ceſſabunt latera, reſpondit, tua,
Et obiurgari iuſſit ſervum garrulum.
Paullo poſt armillam tollit argenteam,
Quam non apparere ut dictum eſt mulieri (6),
F...re plena (7) *vocat .m.es ad verb...* (8),

Noſter tandem Fab. IX.
Cum veſte *et auro et magno argenti pondere.*

(4) *Sum....* Nempe *ſumeret*, quod fragmentum, veſtigia, metrum unice probant. *Sumere* autem eſt etiam *emere* et *comparare*. Cicero VIII. ad Famil. Epiſt. 23. *Quanti ego genus omnes ſignorum non aeſtimo, tanti iſta quatuor aut quinque* ſumſiſti. Horatius II. Satyr. 4. v. 106.

Quae parvo ſumi *nequeant obſonia captas.*

(5) *Sponda ceſſavit tua.* Legerem *ſponda ceſſabit tua*. Nam *to dederis*, et ſententia hoc tempus verbi poſtulare videntur. Quam facile autem *b* in *v* tranſeat omnes norunt, ejuſque rei nos iam exemplum et hîc vidimus fab. I. Part. I.

(6) In hunc et ſuperiorem verſiculum aliquod vitium dubio procul inrepſit. Nam, praeterquamquod utriuſque ſententia abſtruſa, ambigua, et incerta eſt, prior capitalem trochaeum in quartâ habet, et alter ſyllabâ eſt mutilus. Huius tamen metrum ſatis commode reſtituitur, ſi loco *quam* legatur *eam*, quod genuinum etiam dixeris, quum emendatio leniſſima ſit, atque ea verba idem hîc plane valeant: In priore autem verſiculo commodum erit metrum, ſi pro *tollit* recipiatur *juſtulit*, vel ſi verba potius loco moveantur. Quamobrem uterque verſiculus commode fortaſſe ſcribi poterit hoc pacto:

Armillam tollit *paullo poſt argenteam:*
Eam non apparere *ut dictum eſt mulieri.*

Ubi *tollit* eſſet *ſumit*, *accipit* in uſum, quemadmodum Horatius dixit I. Satyr. 1. v. 51.

.... at ſuave eſt ex magno tollere *acervo.*

II. Epiſtol. 2. v. 290.

Utar, et ex modico quantum res poſcet, acervo
Tollam.

Et I. iterum Satyr. 4. v. 11.

Quum flueret lutulentus, erat quod tollere *poſſes.*

Apparere autem eſſet *pulchre apparere*, *eleganter congruere*, *ad formam conferre*, et quod Annibal Caro ad Panvinium ſcribens lib. II. Epiſt. italice dicit *far bel vedere*. Ideoque verſiculorum ſententia huiuſmodi videretur: Domina paullo

Pro..nit gr.....um (9) *ſi non dixerint.*

Aliis

lo poſt in uſum ſumſit atmillam argenteam; ſed quum dictum fuerit illam non pulchre ei congruere furore plena, ac irâ excandeſcens etc. Haec autem ad totius fabellae rationem facete videntur. Nam de feminâ in eâ agitur, quae, omni pacto videri pulchra contendit, et quae propterea ſaevior fit, et graviſſime itaſcitur ubi formoſam ſe non haberi ſentit. Nec leviter totam hanc rem firmat ac illuſtrat Iuvenalis, qui de huiuſmodi feminis Satyr. VI. v. 475. haec praeter cetera habet:

.... ſi nocte maritus
Averſus iacuit, periit libraria, ponunt
Coſmetae tunicas, tarde veniſſe Liburnus
Dicitur, et poenas alieni pendere ſomni
Cogitur. Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic ſcutica, ſunt quae tortoribus annua praeſtent.
Nam ſi conſtituit, ſolitoque decentior optat
Ornari, et properat, iamque expectatur in hortis.
Componit crinem laceratis ipſa capillis,
Nuda humeros Pſecas infelix, nudiſque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? Taurea plectit
Continuo flexi crimen, faciniſque capilli.
..... attera laevum
Extendit, pectitque comas, et volvit in orbem.
Eſt in conſilio Matrona, admotaque lanis
Emerita, quae ceſſat acu. Sententia prima,
Huius erit poſt hanc aetate atque arte minores
Cenſebunt tamquam famae diſcrimen agatur,
Aut animae. Tanti eſt quaerendi cura decoris.

Verum tamen haud ego propterea propoſitam lectionem probatam et genuinam omnino tenerem. Illa enim verborum tranſpoſitio ſatis duta eſt, et *apparere* ad eam ſententiam nullo aequo exemplo, quod ego ſciam, defendi poteſt. Praeterea haud a tota familia verberibus exigenda erat vetitas, ſi unus aut alter armillam non pulchre congruere feminae dixiſſet. Quamobrem ſatius fortaſſe erit, ſi longe levioti emendatione ſcribatur:

Paullo poſt armillam tollunt *argenteam:*
Eam non apparere, *ut dictum eſt mulieri.*

Ubi *tollunt* eſt *auferunt, ſurripiunt, furantur*. Auctor libelli de Nuce, qui Ovidius fertur v. 139:

Quilibet argentum prima de fronte tabernae
Tollat, *et ad gemmas quilibet alter eat.*
Auferat hic aurum, peregrinos ille lapillos.
Et quaſcumque poteſt tangere, tollat *opes.*
Sed neque tolluntur, *nec dum re-*

Aliis minare, . nq . . . (10), me non fallis certe (11): Flagris ſum caeſus, verum quia dixi modo.

FA-

regit omnia Caeſar,
Incolumis tanto praeſide raptor erit.

Apparere autem eſt *adeſſe* et *extare*. Plautus in Amphitr. II. 2. v. 160., Soſia. *Hic patera nulla in ciſtula eſt*. Amph. *Quid ego audio?* Soſ. *Id quod verum eſt*. Amph. *At cum cruciatu niſi* apparet *tuo*. Alcmen. *Haec quidem* apparet. Senſus vero hoc pacto ſe haberet. Paullo poſt ſurripitur armilla argentea: ut relatum eſt mulieri eam domi non extare, nec inveniri etc. Haec, ni fallor, melius procedunt, et ſin minus vera, certe veriſimiliora ſunt.

(7) *F...re plena*. Nempe *furore plena*, quod nonnulla quoque veſtigia omnino probant.

(8) *Vocat . m . es ad verb...* Scilicet. *vocat omnes ad verbera*, quae etiam explorata ſunt. Cicero autem I. in Catil. c. 5. *Templa Deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad exitium et vaſtitatem vocas*; Et III. ad Attic. Epiſt. 7. *Ne et meum moerorem exagitem, et te in eumdem luctum* vocem.

(9) *Pro..nit gr.... ...um*. Legerem *proponit gravia verum*, quae etiam cunctis ſpectatis, omnino certa videntur. Cicero pro Planc. c. 41. *Cui quum omnes metus, publicatio bonorum, exſilium, mors proponeretur*: II. ad Attic. Epiſt. 19.: *Minae Clodii, contentioneſque, quae mihi proponuntur modice me tangunt*. Et II. De finib. c. 17. *Improbis poenas proponere.*

(10) *.nq..t*. Nempe *inquit*, ut quiſque per ſe nullo negotio videt.

(11) *Certe*. Reponerem *quidem*: Nam ſecus in ſextâ offendetur ſpondaeus, neque alia potior ratio adeſſe videtur, qua expungi poſſit. *Certe* autem eſt ipſum *quidem*, ideoque facillime ab Amanuenſi ſcribi pro altero potuit. Nec male porro *quidem* in verſuum fine collocatur. Phaedrus fab. 8. lib. II. v. 17. *Salvum te volumus* quidem.

FABULA XVII. num. 86.

GALLUS LECTICA A FELIBUS VECTUS.

Nimiam ſecuritatem ſaepe in periculum homines ducere.

Feles habebat gallus lecticarius (1).
Hunc glorioſa (2) vulpes ut vidit vehi,

Sic

(1) *Lecticarius*. Sic omnino in Codice, ſed palam eſt mendum in voce itrepſiſſe; quum hîc non gallus feles vehat, ſed feles gallum. Verum quomodo legemus? *Lecticarios*, an *lecticarias*, quum vulgo Grammatici pertinaciter contendant *feles* eſſe omnino generis feminini? Ego primum praeferrem. Nam huiuſmodi vox maſculino tantummodo genere uſurpatur a Cicerone pro Roſc. Amer. c. 46. Columella Praef. ad lib. I. de R. R. Svetonio in Calig C. 58. P. Victore XIV. Region. Urbis, aliiſque pluribus, tum in Marmoribus apud Gruterum p. 599. 600. et Muratorium p. 897. nec umquam, quod ego ſciam, in feminino occurrit. Et ſi aequalibus ſuis praecipiebat Caeſar lib. I. de Analog. ut Gellius lib. 1. Noct. Attic. c. 10. et Macrobius I. Satutn. c. 5. referunt, tamquam ſcopulum fugiendum eſſe inauditum atque inſolens verbum, quo modo nos *lecticarias*, ex ingenio, Auctori veteri obtrudemus? Praeterea, ut paullo poſt obſervabimus, rite rectèque *feles* in maſculino genere ſumi poſſe videtur. Et quum *lecticarius* officii nomen ſit, non naturae, quidni ad utrumque genus referri poteſt? Si Cicero Acad. II. *Nocturnam Ducem* dixit; Ovidius V. Faſt. v. 192. *Optimam Auctorem*, et Epiſt. Heroid. XI. v. 48. *Novam militem*; Valetius Maximus lib. I. Exempl. c. 1. n. 1. *Peritam Antiſtitem*; Lucanus X. Pharſ. v. 368. *Saevam iudicem*; Statius Theb. IX. v. 629. *Augurem futuri caſſam*: Cur Noſter *feles lecticarios* dicere non potuit?

(2) *Glorioſa*. Scriberem omnino *glorioſe* vel *glorioſum*, vocem ad gallum referens. Ut enim neque opportune neque vere *vulpes* hîc dici poteſt *glorioſa*, ſic contra rectiſſime et apte *gallus* dicitur *glorioſus*, vel *glorioſe vehi*. Quam facile autem elementum corrumpi potuerit quiſque videt, *e τω a* proximum, et *u* lineolâ tectum, ut *m* in mss. Codicibus

Sic eſt locuta : moneo praecaveas dolum :
Iſtorum (3) *vultus namque ſi conſideras,*
Praedam portare iudices, non ſarcinam.
Poſtquam eſurire coepit fera ſocietas (4),
Diſcerpſit dominum, et fecit partes facinoris.

FA-

bus ſaepe notatur, eſt ipſum *a*. Sed ex duabus lectionibus ego primam tenerem, quum ſatius ad ſyntaxim, ac ſententiam facere videatur. Naevius apud Gellium Noct. Act. VI. c. 8.

Etiam qui res magnas manu ſaepe geſſit glorioſe.

Plautus in Perſa II. 5. v. 6.

Subnixis alis me inferam, atque amicibor glorioſe.

Cicero II. Famil. Ep. 12.

Glorioſe *triumphare*.

(3) *Iſtorum*. Ita quidem in Codice, nec dici iure poteſt lectionem ab Amanuenſi confectam, quum vel pueruli noverint *feles* vulgo in feminino genere uſurpari. Perottus autem qui de iſta animalium ſpecie plura habet in Cornucopiâ ad receptam ſyntaxim vocem perpetuo adhibet. Equidem fateor iſtam vocem in Scriptoribus, quos adhuc habemus, haud facile in maſculino genere occurrere, ſed in eo genere numquam ſumtam, neque ſumi rite potuiſſe nequaquam dixerim. Id namque neque latinae linguae ingenio, nec analogiae pugnat. Praeterea Robertus Srephanus vir hiſce in rebus exerciratiſſimus in ſuo Lexico nomen communis generis ſtatuit, er Ioannes Voſſius lib. 1. de Analog. c. 36. nihil ea de re decernere eſt auſus. Et re quidem vera de nominibus, quae Epicena vocantur magis quam Grammarici autumant, quod iam obſervavit Scioppius. ampliandum videtur. Virgilius Eclog. VIII. v. 28. *timidos damas* dixit, et Georg. I. v. 183. *talpas oculis captos*. Plautus in Stich. I. 3. v. 14. *Elephantum gravidam*. V. Quintilianum IX. c. 3. Praeterea quum hîc de munere agatur, quod a maribus geritur convenientius et felibus eiuſdem generis Auctor tribuere debuit.

(4) *Fera ſocietas*. Scribendum eſt *ſocietas fera*. Secus enim vel verſiculus ſyllabâ brevior erit, vel trochaeum habebit in quartâ. Emendatio autem omnium leviſſima eſt, et *ſocietas* ſelium vere et proprie *fera* dicitur ne aliud obtrudendum quaeramus.

FABULA XVIII. num. 89.

SCROFA PARTURIENS, ET LUPUS. (*)

Faciendum prius de homine periculum, quam eius te committas fidei.

Tremente partu (1) ſcroſa quum gemeret iacens,
Accurrit lupus, et obſtetricis partibus
Se poſſe fungi dixit, promittens opem.
Quae vero noſſet pecoris fraudem improbi (2),
Su-

(*) Haec fabella legitur etiam apud utrumque Romulum, qui iſtos ipſos iambos ſolviſſe videntur. Tum occurrit in Fabulatore Elegiaco, et in Guillelmo Goudano, qui eam ab iſto eſt mutuatus.

(1) *Tremente partu*. Scribendum omnino videtur *Premente partu*. Nam hic *tremere* abſurdam ſententiam habet, et contra *premere* rectam, opportunam, egregiam. *Premere* eſt *inſtare*, *imminere*, *urgere*, et propterea *torquere* etiam et *angere*. Cicero pro Roſc. Amer. c. 34. *Quae neceſſitas eum tanta* premebat. IX. Famil. Epiſt. 1. *Videor ſperare debere, ſi te viderim, et ea quae* premant *et ea quae impendant facile tranſiturum*. Salluſtius in Iugurth. c. 17. *Omnes bas quae me* premunt *aerumnas, cum animâ ſimul amiſiſti*. Phaedrus autem fab. 18. lib. I. v. 2. ſcripſit *Inſtante partu mulier*: et Romulus ille Rimicii haec plane habet: *Premente partu quum iaceret ſcroſa dolore gemens*. Quamobrem propoſita lectio non probabili modo ratione eſt tentata, ſed poſtliminii iure potius Auctori ſuo reſtituta.

(2) Verſiculus eſt ſyllabâ mutilus. Nam nulla aequa ratio ſuadet, ut in quintâ ſede reiiciatur echthlipſis. Praeterea ubinam eſt coniunctionis particula, quae perpetuo verba ſubiunctivi modi, ut Grammatici loquuntur, comitari ſolet? Ego igitur interponerem voculam *quum*, quae metrum ac ſententiam egregie reſtituit, et quum ea longe frequentius verbo praeponatur, quam ſubiiciatur ſcriberem:

Quae vero quum noſſet pecoris fraudem improbi:

Non negaverim ſyntaxin ac metrum verſiculi commode procedere, ſi quis loco *te noſſet noſcens*, loco *fraudem*, *fraudes* re-

Suſpectum officium repudiavit maleſici;
Et ſatis eſt, inquit, ſi recedas longius.
Quod ſi perfidiae ſe commiſiſſet lupi,
Pari dolore fata deſleſſet ſua,

FABULA XIX. num. 93.

AESOPUS, ET SERVUS PROFUGUS.

Non eſſe malo addendum malum.

Servus profugiens dominum naturae aſperae,
Aeſopo occurrit notus e vicinia.
Quid tu confuſus? Dicam tibi clarè, Pater,
Hoc namque es dignus appe... ri nom...(1),
Tuto quia apud te querela deponitur (2).

Plo-

reponeret, et legeret:

Quae vero noſcens pecoris fraudes improbi.

Sed, praeterquamquod facilius fieri potuit, ut duarum literarum vocula, (*cū*) ut non raro vel in Codice noſtro ſcribitur, excideret, quam duo verba corrumperentur, *το fraudes* parum eleganter hîc uſurpari poteſt, et certe longe potius *quum noſſet*, quam *noſcens* ſententia poſtulat.

(1) *Appe... ri nom...* Scilicet *appellari nomine*, quod ex veſtigiis quoque plane exploratum eſt. Cicero autem pro Caecin. c. 3. *De liberis quisquis eſt procuratoris* nomine appelletur. IX. Famil. Epiſt. 22. *Suo rem quamque* nomine appellare. Nepos in Ariſtid. c. 1. Cognomine *Iuſtus eſt* appellatus.

(2) Verſiculus trochaeo corrumpitur tum in tertiâ, tum in quarta ſede: Facile vero vitio medebimur, ſi unius verbi traiectione ſcribamus:

Tuto querela quia apud te deponitur.

Quae quidem lectio non eò ſolummodo ex capite probatur, quod emendatio lenior prae ceteris ſit, ſed etiam quod nulla alia aequa ratio ad iuſtum metrum reſtituendum appareat, quum ſententiam verſiculus egregiam praeferat, et ſingula verba recta ſint et probata.

Plagae ſuperſunt ....b.r. (3),
Subinde ad v..... m..... (4).

Do-

(3) ..... *b.r.* Abſtruſa lectio. Hoc loco viginti fere literae fuiſſe videntur, et tria verba. Ex poſtremo illud tantum modo fragmentum ſupereſt *b.r*, ex priore quoddam *eſu* vel etiam *efu*, quum *ſ* ſatis facile in *f* permutari poſſit, tum veſtigium deleti elementi ante *e*: ſed ex ſecundo verbo omnino nihil remanet. Nihilominus ſi coniicere licet, pleriſque aliis tentatis lectionibus reiectis, quod plus minuſve a veſtigiis Codicis abirent, reponerem modo *deſunt numquam verbera*: quae ſin minus genuina erunt, certe loco, fragmentis, metro, et, ni fallor, etiam propoſito commode congruunt. Unde totus verſiculus eſſet:

Superſunt plagae, deſunt numquam verbera.

Plagae autem hic eſſe poſſunt *ſigna verberum*, *ictuum vibices*, *vulnera*, quo ſenſu vocem ſumunt Plautus Pſeud. I. 2. v. 4. Virgilius X. v. 797. Celſus V. lib. c. 26. Suetonius in Caeſar. c. 82. aliique plures, *ſuperſunt* vero eſt *apparent*, *cernuntur*, *adhuc manent*: Ideoque totius verſiculi ſenſus eſſet: En adhuc manent vulnera, plagae, a domino mihi inflictae, quotidie verberibus afficior, numquam ceſſant in me verbera. Quin ſi *plagae* ipſi ſunt ictus et percuſſiones, ſententia melius fortaſſe procederet. Eſſet huiuſmodi: Aſſatim ſemper plagarum, *plagae* mihi ſatis ſemper *ſuperque ſunt*; nec verbera deficiunt, ac ceſſant. Plagae autem proprie ſunt, quae pugnis, calcibus, ſaxis infliguntur; *verbera* vero quae loris, fuſtibus, virgis ingeruntur. Et quamvis in verſiculo idem eſſent omnia certe in fugitivi ore το πρεπον ſervant.

(4) *V.....m.....* Abſtruſior lectio. Hoc loco quatuor fuere verba, vel ſaltem tria. Primum ſex fere literas habuit, ſecundum totidem, tertium cum quarto tredecim circiter. Tum ſecundum ex veſtigiis ipſum *mittor* dicere poſſes, ex primo vero appareret quoddam *vil* atque ex tertio initialis *ſ* vel *f*, et poſtremo loco quoddam *o*. Quamobrem, ſi ſcribatut:

Subinde ad vilem mittor ſervitudinem.

fragmenta, metrum, locus commode ſervarentur. Sed vereor ne loquendi modus probari poſſit. Fortaſſe aliquanto ſatius legeretur:

Subinde ad vilius mittor ſervitii opus.

perinde ac *demittor ad viliſſima opera*: Sed neque id probatum putarem, quum potiſſimum illud *vil* non ad *vilem*, ſed ad *villam* ſpectaſſe videatur. Sed quaenam erunt verba reliqua? Ad ſententiam requiri viderentur *laborare*, *operari*, *fodere arva*, *agros* etc.

Sed

Domi ſi coenat to..... ſto noctibus (5),
Sive aeſtu vocatus...o (6) *ad lucem iuſem...* (7).

Eme-

Sed inde ego, veſtigiis ſpectatis, expedire me neſcio. Ideoque ad illud *ſ* ſive *ſ* attendens, ſcriptum forte fuiſſe autumarem *fundosque ſuos*, vel *ſuoſque fundos*, atque legerem:

Subinde ad villam mittor, et fundos ſuos.

Ubi, ni fallor, illa verba ſubintelligi facile poſſunt. At fatendum eſt, ſententia adhuc frigida et parum opportuna videtur. Quid ſi ſcribamus *ſervus ruſtico*, quod loco et fragmentis apprime congruit, et potiorem vim, et poteſtatem praeſeſert? Senſus eſſet. Mittor ad villam, ut ſim mancipium ceterorum ſervotum, ut ipſis ruſticis adſtem, et officia praeſtem. Quae certe viliſſima et deſpectiſſima erat ſervitus. Sed Docti omnino haec viderint.

(5) *To... ...ſto noctibus*. Legerem *totis perſto noctibus*, quae certa et probata videntur. Nam nil potius fragmentis, loco, et ſententiae reſpondet. Pro τω *perſto* legi quidem non male poſſet *adſto*, *praeſto* aut ſimilia, ſed illud mihi ſatius facere ad rem videtur. *Perſto* enim non ſolum eſt adſum, et praeſto ſum, ſed iugiter et perpetuo ſto et conſiſto. Opportune Plinius lib. VII. Hiſt. nat. c. 7. *Philoſophos eorum quos Gymnoſophiſtas vocant, ab exortu ad occaſum* perſtare *contuentes Solem immobilibus oculis, ferventibus arenis toto die alternis pedibus inſiſtere.*

(6) *...o*. Vetbum praeter elementum plane deletum. Eſſet ad ſententiam *maneo*, ſed locus huiuſmodi vocem aptè non capit. Reponerem potius *dego*, quod omnino congruit, atque a ſententiâ recipitur. *Degere* enim eſt *vitam agere*, *decurrere*, *inſumere*, et ſervus ſenex, quem loqui etiam invidioſius par eſt, ob cenatum frequentiam, et diuturnitatem iure queri poterat vitam ſuam eo pacto agi atque abſumi. Praeterea apud Feſtum legitur Antiquos poſuiſſe *degere* pro *expectare*, qua ſignificatione nil ſatius facit ad propoſitum noſtrum. Sunt ſane qui ibi legere malint *degerere*, ſed qua auctoritate neſcio, neque video quomodo *dego* in expectandi ſententiâ ſumi revera non poſſit. Qui enim expectat, aliquo in loco vacuus et otioſius manet, immoratur, ideoque vitam inſumit, terit, agit, et ad ſummam *degit*. Quid autem illud *degerere*? *Degero* eſt ipſum *gero*, quod ptoptie eſt *geſto*, *porto*, *fero*, et ſi aliquando eſt *ago*, id per metaphotam fit, quum quae geruntur negotia quoddam onus et pondus videantur. Et ſi Andreas Dacerius ad ea Feſti verba putat *degero* eſſe *expecto*, quod *de* ſit *non*, *nil*, quidni potius etit *dego*, quod vel pueri norunt fuiſſe *deago*? *De* autem revera interdum defectum et inertiam notat.

Emerui libertatem, canus ſervio,
Ullius eſſem culpae mihi ſi conſcius,
Aequo animo ferrem, numquam ſum factus satur,
Et

(7) *Semi* ... Nempe *ſemitâ*, quod ex veſtigiis etiam perſpicuum eſt. Quamobrem verſiculus huiuſmodi eſt:

Sive aeſtu vocatus dego ad lucem in ſemitâ.

Sed ne ſic quidem totus eſt rectus ac genuinus. Nam graviſſime in metro peccat, nec non ſententiam habet ambiguam vel abſurdam. Tanto autem vitio facile medebimur, ſi tantummodo *το aeſtu* in *eſt* emendemus, et ſcribamus:

Sive eſt vocatus dego ad lucem in ſemitâ.

Nam iſta lectio tum leges carminis ſervat, tum ſententiam fabellae congruentem, dignamque Auctore praeſefert. Ea eſt huiuſmodi: Sive dominus meus non cenat domî, ſed ab amicis eſt invitatus, atque apud eos diſcumbit, ego tum expecto foris in ſemitâ, uſque ad diuruam lucem, ut inde eum domum reducam. Et re quidem vera quum de cenâ agatur, nemo neſcit *vocari* eſſe proprium ac ſolemne verbum, quo invitarentur atque arceſſerentur convivae. Plautus in Captiv. I. 2. v. 69. *Sed num quo foras* vocatus *ad cenam?* in Menechm. III. 1. v. 10.

Affatim eſt hominum in dies qui ſingulas eſcas edunt,
Quibus negotii nihil eſt, qui eſum neque vocantur *neque* vocant.

Similia in Pſeud. V. 2. v. 33. in Curcul. IV. 4. v. 7. ac alibi. Tum Ovidius Metam. XIV. v. 294. Faſtor. III. v. 7. Suetonius in Calig. c. 29. aliique plures paſſim. Vid. etiam Ianum Gulielmum Quaeſt. in Amphitr. Plaut. c. 8. Ita quoque *ad lucem* omnino eſt uſque ad diurnam lucem, uſque dum lux, ſol, dies oriatur. Plautus iterum Menech. V. 5. v. 29. *Perdormiſcin' uſque* ad lucem? Cicero de Divinat. lib. I. ad lucem *dormire*. Livius lib. III. ad lucem *pugnare*. Caeſar de B. Gall. I. c. 22. Suetonius in Caeſar. c. 31. aliique multi ſimilia. Romanorum autem molliores revera ad lucem uſque cenas ſuas et comiſſationes produxiſſe vel pueris notum eſt. Plautus in Menech. I. 2. v. 62. *Inde uſque ad diurnam Stellam craſtinam potabimus*. Propertius IV. Eleg. 6. v. 85.

Sic noctem paterâ, ſic ducam carmine, donec
Iniiciat radios in mea vina dies.

Horatius Carm. III. Od. 8. v. 13.

Sume, Mecaenas, cyathos amici
Soſpitis centum, et vigiles lucernas
Profer in lucem.

Faciſſime tandem per ineptum Grammaticum illud vitium in verſiculum induci potuit: Nam quum is *ad lucem* interpreta-

re-

Et ſuper infelix ſaevum patior dom . . . . (8).
Has propter cauſſas, et quas longum eſt pro . . . . (9),
Abire deſtinavi, quo tulerint pedes.
Ergo, inquit, audi: quum mali nihil (10) *fec . . . .* (11),
Haec experiris, ut refers, incommoda,
Quid ſi peccâris? Quae te paſſurum putas?
Tali conſilio eſt a fugâ deterritus.

retur ad *lucem ſolis*, ſub ferventibus radiis ſolis, ſub ſole, inde illum *aeſtum* commentus fuit.

(8) *Dom . . . .* Nempe *dominum*, quod plane exploratum eſt. Nihilominus totus verſiculus recte haudquaquam procedit, quum trochaeum in quintâ habeat. Si ſcriberetur:

Et ſuper infelix ſaevum perpetior herum:

vel:

Et ſuper infelix ſaevum perfero dominum:

leges carminis ſervarentur, ſed verſiculus nimis, ut puto, a Codicis lectione diſcederet. Idcirco ego mallem:

Et ſaevum dominum patior infelix ſuper.

Primum quia verborum trajectio lenior ceteris emendatio videtur. Tum quia ea in verſiculum haud difficile a Grammatico induci potuit, quum ſyntaxis ſat involuta ac implexa appareret. Tertio quia non pauca alia ſimilium transpoſitionum exempla iam vidimus. Tandem quod nulla potior reſtituendi metri via eſt. Nam ſententia verſiculi rectiſſima eſt, et ſingula verba probata. Neque mirum quod *ſuper* poſtremo loco collocetur, nam in adverbii poteſtate ſumitur, et Phaedrus eâ etiam ut praepoſitione verſiculum clauſit fab. 27. lib. I. n. 8:

Fame eſt conſumptus (canis),
quem ſtans vulturius ſuper.

Tum hoc libro Fabellâ XXXI. coniunctio *ſcilicet* ad verſiculi calcem reiecta eſt:

In terrâ nidum quia componit ſcilicet.

(9) *Pro . . . .* Legi poteſt *prodere* vel *promere*, ſed hoc potius ex veſtigiis tenendum eſt. Tum Cicero IX. ad Attic. Epiſt. 16. *Nunc certe* promenda *tibi ſunt conſilia*. Plinius Caecilius in Paneg. c. 66. *Jubes quae ſentimus* promere, *in medium proferemus*: Et Plautus Aſinar. I. 1. v. 10:

Ita me obſtinate aggreſſus, ut non audeam
Profecto percunctanti, quin promam *omnia.*

(10) *Nihil*. Legendum eſt *nil* ob leges carminis.

(11) *Fec . . . .* Nempe *feceris*, quod eſt omnino perſpicuum.

FABULA XX. num. 95.

EQUUS QUADRIGALIS IN PISTRINUM VENUMDATUS.

Ferendum esse aequo animo quidquid acciderit.

Equum et quadrigam (1) *multis palmis nobilem*
Abegit quidam, et in pistrinum vendidit.
Productus ad bibendum quum foret a molis,
In Circum aequales ire conspexit suos,
Ut grata Ludis redderent certam . . . (2).

La-

(1) *Equum et quadrigam*. Ista lectio haudquaquam probata videtur. Nam *quadriga* seu currus venumdari in pistrinum non poterat, et si *quadriga* sunt ipsi equi quadrigales, quemadmodum Virgilio III. Georg. v. 267. Columellae III. de R.R. c. 9. Plinio lib. XXXVI. c. 5. aliisque pluribus, palam est de eis in fabellâ non agi. Quamobrem omnino tenerem *Equum e quadrigâ*, quod certe ad propositum facit; neque alii *aequales* sunt, quos iste equus alloquitur, nisi reliqui de *quadrigâ*. Veteres frequentius usurparunt *quadrigae* plurali numero, ideoque haud pertinaciter contenderem, si quis mallet *equum e quadrigis*: Verum ego *e quadrigâ* legerem. Nam propius ad Codicis lectionem accedit, quae ubi fieri potest religiose servanda est, et vox *quadriga* singulari numero, quidquid contra Caesar praeceperit, ut refert Gellius lib. XIX. Noct. Attic. c. 8. recepta est, et non raro usurpata a Varrone, eodem Gellio teste, a Propertio II. Eleg. 25. v. 39. III. Eleg. 7. v. 17. Gratio Cyneg. v. 228. Plinio lib. VII. hist. nat. c. 21. Martiali lib. VI. Epigr. 46. Svetonio in Vitell. c. 17. aliisque multis.

(2) *Certam*... Nempe *certamina*, quod quisque videt. Vox autem ex proprietate usurpatur. Virgilius profecto lib. V. Aen. v. 144.

Non tam praecipites biiugi certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus.

Ovidius V. Met. v. 177. *Inire* certamina *disci*. Svetonius in Nerone c. 12. *Instituit quinquennale* certamen . . . *triplex musicum, gymnicum*, equestre.

Lacrymis obortis, ite felices, ait,
Celebrate fine m. .urſu (3) ſolemnem diem:
Ego quo ſceleſta f...s (4) . ttraxit (5) manus,
Ibi ſorte triſti fata deflebo mea.

FABULA XXI. num. 96.

URSUS ESURIENS.

Famem acuere animantibus ingenium.

Si quando in ſilvis Urſo deſunt copiae,
Scopuloſum ad littus currit, et pñdens petr. (1)

1 2 *Pi-*

(3) *M. .urſu.* Scilicet *me curſu*, quod certum eſt. Virgilius IV. Aen. v. 155.

At puer Aſcanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo, iamque hos curſu, iam praeterit illos.

Et V. v. 549.

Vade age, et Aſcanio, ſi iam puerile paratum
Agmen habet ſecum, curſuſque *inſtruxit equorum.*

(4) *F...s.* Nempe *furis*, quo nil potius fragmentis, loco, et ſententiae congruit. *Abactor* autem eſt *fur* iumentorum; quin haec vox magis etiam ad contumeliam dicitur, unde *ſervi* appellati *fures* Terentio Eunuch. IV. 7. 6. et Virgilio Eclog. III. v. 16. et Meretrices Plauto in Poenul. V. 4. v. 65.

(5) *.ttraxit.* Nempe *attraxit*, quod genuinum eſt. Martialis VI. Ep. 66.

Attraxit *prope ſe manu negantem.*

(1) *Pñdens petr.* Legerem *prendens petram. Petra* eſt ſcopulus maris, unde Auctor litus *ſcopuloſum* appellavit. Haec Feſtus: *Petrarum genera ſunt duo, quorum alterum naturale ſaxum prominens in mare, cuius Ennius meminit lib.* XI. Alte delata, petriſque ingentibu' tecta. *Et Livius in Centauris:* ubi ego ſaepe petris: *Alterum manufactum, ut docet Aelius Gallus. Prendere* vero eſt *complecti, brachiis cingere*, et veluti *manibus comprehendere.* Cicero I. Acad. Quaeſt. c. 11. *Similem iis rebus, quae manibus* prenderentur. Virgilius II. Aen. v. 444., et 592. III. v. 624. *dextrá prendere.* Id autem

Piloſa crura ſenſim dimittit (2) *vado:*
Quorum inter villos ſimul haeſerunt canc.. (3)*,*
In

tem de Urſo recte uſurpari poteſt, quum pedibus anterioribus, perinde ac brachiis manibuſque multâ ſollertiâ utatur, quamobrem eos revera *manus* Plinius appellavit lib. VIII. c. 36. Praeter propoſitam vero lectionem, quum *pŭdens* eſſe poſſet *pendens*, et nullum reſtaret veſtigium *n m*, incolumi, ut ita dicam, *a*, eſſet alia huiuſmodi: *pendens petrâ*, quam commendaret elegans verbi poteſtas, quam Virgilius Aen. I. v. 100. V. v. 147. X. 586., et praeſertim Eclog. I. v. 77. de Capellis loquens ſic expreſſit:

Non ego vos poſtbac, viridi proiectus in antro,
Dumoſa pendere *procul de* rupe *videbo.*

Tum Ovidius, Virgilium fortaſſe imitatus, lib. I. de Pont. Epiſt. IX. v. 51.

Ipſe ego pendentes, *liceat modo, rupe capellas*
Ipſe velim baculo paſcere nixus oves.

Et propius etiam ille Aeneid. VIII. v. 668.

.... *Et te Catilina, minaci*
Pendentem ſcopulo...

Sed haec ſpecioſa potius eſt lectio, quam vera; Nec dubitari poteſt, quin illa ſaltem ſit veriſimilior: Nam praeterquamquod *m* lineolâ notari potuit, ut ſaepius fit, et *pŭdens* eſt potius *prendens* quam *pendens*, certe quidem ut Vrſus demittere pedes in vadum potuiſſet, neceſſe erat, ut *prehenderet petram*.

(2) *Dimittit*. Sic ſcriptum in Codice, et defendi fortaſſe poteſt, tum quod *dimitto* ipſum *demitto* eſt origine ſua, tum quod, ut nonnulli legunt, Ovidius I. Metam. v. 261. et II. v. 310. Dimittere *Coelo nimbos, vel imbres* dixit. Attamen quum emendatio plane ſit leniſſima, non dubitarem legere *demittit*, quod longe frequentius ac elegantius ad eam ſententiam uſurpatur. Cicero II. Philipp. c. 18. Demittere *aliquem per tegulas*. Virgilius I. Aen. v. 565.

Tum breviter Dido vultum demiſſa *profatur.*

Et VII. v. 278.

Aurea pectoribus demiſſa *monilia pendent.*

Celſus lib. I. c. 3. Demittere *ſe in aquam calidam*. Et plures alii ſimilia.

(3) *Canc..* Ex hoc fragmento, atque ex veſtigiis reliquarum literarum, exploratum eſt in Codice ſcriptum fuiſſe *Cancri*, quod profecto ſententiae fabellae eſt plane opportunum. Nam revera cancri vadoſa loca colunt, unde Ovidius Metam. XV. v. 369. *littoreos* appellavit, urſoſque porro aiunt revera ad eos captandos operam interdum dare. V. Plinium X. hiſt. nat. c. 93. Verum tamen eâ voce metrum

non

In terram arripiens excutit praedam maris,
Eſcâque fruitur paſſim collectâ vaſer (4)..

non ſervatur, quum verſiculus ſit ſyllabâ truncus, et ſpondaeo terminetur. Si ſcribitur:

Quorum inter villos haeſerunt cancri ſimul:

metrum commode procedit, ſed ſententia corrumpitur, quum *ſimul* hîc ſit *unâ*, *conjunctim*, et in fabellâ ſit *ſimul ac*. Si legitur:

Quotum inter villos cancri ſimul ac haeſerunt.

nimium a Codicis fide recedimus. Quamobrem longe ſatius eſt, ſi leviſſimâ immutatione, loco τῶ *cancri* reponatur *canceres*, quod metrum optimum reſtituit, et ipſam poteſtatem et ſignificationem ſervat. Equidem fateor non occurriſſe adhuc mihi exemplum, quo *cancer*, ut genus piſcis in tertiâ declinatione, quam Grammatici vocant, uſurpatetur: Sed nullum omnino penes univerſos Scriptores fuiſſe, nec extare ſaltem ex receptâ analogiâ potuiſſe nullo pacto dixerim. Nam ſi *cancer* ut ſidus, et morbus in tertiâ declinatione uſurpatus eſt a Lucretio V. v. 616. Catone de R.R. c. 157. Celſo lib. IV. c. 15. Arnobio lib. I. p. 30. et aliis pluribus, cur uſurpari nequit, quum genus piſcis ſignificat, ſi nomen idem plane eſt origine atque etymo, ſi prima eius poteſtas animalis fuit, porro ſideris, et morbi, ſi analogiâ probatur, et defenditur? Accederet quidem magis ad Codicis lectionem *canceri*, quod non dubito, quin vetuſtis temporibus rite uſurparetur, unde *canceris*, *cancerem* etc. manſerunt, et quod neſcio quomodo magis iudicio aurium probari videtur, ſed qua auctoritate defendi poſſit plane neſcio: et ſi *cammari* ad propoſitum faceret, nimis a τῶ *cancri* diſcrepat.

(4) *Vaſer*. Ego potius unius tantummodo litterulae tranſpoſitione legere mallem *vafre*. Nam ſi vox ad *fruitur* refertur eſt plane frigida, ſi ad *collectâ* opportuna. Tum non agitur in fabellâ de Urſi vafritie et ſolertiâ, ſed de quadam re ab eo *ſolerter* et *vafre* factâ. Quin Urſus Auctoti noſtro eſt imbecillum et ſtultum animal, ideoque dici ab eo non potuit *vaſer*, quod vocabulum naturâ ſagacem ac prudentem, habituque ſolertem ſignificat. Atqui contra nil obſtat quominus ſtultus aliquando nonnulla *vafre* ac ſolerter cogitare ac facere poſſet. Nam Latinis *ſtultus* dicitur, qui quamvis paſſim non videat, quae alii facile norunt, ea vero adhibito ingenio probe intelligat. Valerius autem Maximus lib. VII. Exempl. c. 3. n. 2. de L. Iunio Bruto loquens, qui ſe ſtultum finxerat: *quod*, ait, *tam* vafre *telluri impreſſum oſculum urbi libertatem ... tribuit*.

Ergo etiam ſtulto (5) *acuit ingenium fames.*

FABULA XXII. num. 99.

VIATOR ET CORVUS.

Verbis ſaepenumero homines decipi ſolere.

Quidam per agros d. v... carpens ...r (1), *Ave exaudivit, et moratus paullulum,*

Adeſſe

(5) *Stulto*. Legendum eſt *ſtultis*. Nam ſecus metrum corrumpitur. Et quum verſiculus loco epimythii ſit, recte caſus amplioris poteſtatis uſurpatur. Sed quidquid ſit patet inde Auctorem traduxiſſe Urſum ut imbecillum et ſtultum animal. Attamen ſi ad ea animadvertimus, quae nos ipſi ab eis edi videmus, atque ad alia multa, quae a Plinio Lib. VIII. c. 26. Aeliano de Nat. Animal. VII. c. 9. Cunrado Geſnero in Hiſt. animal. de quadrup. I. lit. D. Gaſpare Schotto in Phyſic. Curioſ. lib. VIII. c. 76. Buffono Hiſtoir. nat. Tom. VIII. edit. Pariſ. 1760. et ceteris referuntur, videtur potius eum inter ſolertia animalia accenſendum fuiſſe. Quamobrem ſuſpicari quis poſſet vel eam lectionem parum rectam eſſe, vel Auctorem parum accurate ſcripſiſſe. Sed neutrum dicendum videtur. Non primum, quia vox omnino peſpicue in Codice legitur, et ſi immutatur totum fabellae pretium, totaque ratio concidit. Tum ne alterum quidem. Nam quamvis multa revera ſolerter ac ingenioſe peragant urſi, infirmiſſimo tamen ſunt capite, quod iam Plinio loc. cit. et XI. c. 37. Iſidoro lib. XII. Etymol. c. 5. p. 15. aliiſque Veteribus obſervatum fuit, neque ſemper ſibi ex aequo conſtant, ita ut contraria interdum et pugnantia edant. Quin idem Plinius eos etiam *ſtultos* vocat, lib. VIII. c. 54. ſcribens: *Nec alteri animali* ſtultitia *ſolertior.* Quae lectionem noſtram plane probant. Tum Pierius Valerianus lib. XI. Hieroglyph. c. 44. urſum ſtatuit ſymbolum Principis imbecillis.

(1) *D. v... carpens ...r.* Reponerem *devium carpens iter*, quod omnibus ſpectatis certum videtur. Recte etiam et elegantер ſcriberetur *devios carpens iter*, nempe per *devios agros*,

Adeſſe ut vidit neminem cepit gr....(2).
Iterum ſalutat, idem ex occulto ſonat:
Voce hoſpitali co.f..matus reſt....(3),
Ut, quisquis eſſet, par officium recip....(4),
Quum circumſpectans errore haeſiſſet diu,
Et perdidiſſet tempus aliquot mill...(5)

gros, quum Propertius II. Eleg. 19. v. 2. *devia rura* ſcripſerit: Ovidius XVI. Epiſt. Her. v. 53. *devium locum*. III. ex Ponto I. 27. *deviam regionem*. III. Metam. v. 146. et 676. *devia luſtra*. Livius lib. X. c. 4. *devios ſaltus*. et lib. XXVI. c. 8. ipſum *devios agros*. Verum ramen quum veſtigia *devium*, non *devios* recipiant ab illa lectione nullo pacto recederem, quae profecto aeque probata ac elegans eſt. Suetonius in Auguſt. c. 16. *Tunc etiam per* devios tramites *refugientem .. interficere conatus eſt:* Et ipſum *devium iter* habent Cicero XV. Famil. Epiſt. 10. IV. ad Attic. Epiſt. 3. I. Tuſcul. c. 4. Nepos XVIII. 3. 5. aliique plures.

(2) *Cepit gr....* Scriberem *cepit gradum*, quod fragmentum, ſententia, metrum, et nonnulla etiam veſtigia omnino poſtulare videntur. *Capere* vero *gradum* hic eſt *interruptum iter reſumere*, quod aeque rectum et latinum puto, ac *facere gradum*, quod Cicero II. de Orat. c. 61. *Ferre gradum*, quod Ovidius III. Art. v. 304. *Acuere gradum*, quod Statius VI. Theb. v. 588. *Addere gradum*, quod Livius XXVI. c. 9. et *corripere gradum* quod Horatius I. Carm. Od. 3. v. 33. aliique uſurparunt.

(3) *Co.f..matus reſt....* Nempe *confirmatus reſtitit*, quod exploratum eſt. Terentius Andr. II. 6. v. 1.

Dav. *Hic nunc me credit aliquam ſibi fallaciam*
Portare, et ea me hic reſtitiſſe *gratiâ*.

Eunuch. II. 3. v. 11.

Chaer. *Ut illum Dii Deaeque ſenium perdant, qui me hodie remoratus eſt,*
Meque adeo, qui reſtiterim.

(4) *Recip....* Scilicet *reciperet*, quod omnia probant. *Recipio* eſt *invicem*, *contra accipio*. Cicero Verr. VII. c. 12. *receptum officium* dixit.

(5) *Mill...* Nempe *millium*, quod et veſtigia firmant. Eâ morâ viator fruſtra tempus inſumſerat, iacturam eius temporis fecerat, quo aliquot milliaria confeciſſet. *Millia* autem pro *milliaribus* probata vox eſt. Cicero pro Caecin. c. 28. *Is non eſt auſus dicere quot* millia *fundus ſuus abeſſet ab Urbe; nam quum dixiſſet minus abeſſe quinquagintatribus, populus cum riſu acclamavit ipſo eſſe,*

Oſtendit ſeſe Corvus, et ſupervolans
Ave uſque ingeſſit. Tum ſe luſum intelligens:
At tibi male ſit (6), *inquit, ales peſſime.*
Qui feſtinantis ſic detinuiſti pedes.

FABULA XXIII. num. 101.

PASTOR ET CAPELLA (*).

Nil occultum eſſe quod non reveletur.

Paſtor Capellae cornu baculo fregerat:
Rogare coepit ne ſe Domino proderet.
Quamvis indigne laeſa, reticebo tamen;
Sed res clamabit ipſa quid deliqueris.

FA-

eſſe. Ita quoque III. Ad Attic. Epiſtol. 3. atque apud alios Scriptores. Praeterea *perdere tempus*, rectus eſt ac probatus loquendi modus, eiuſque exempla abunde ſuppeditant Cicero III. de Orat. c. 141. Ovidius XI. Metam. v. 286. Lucanus III. Pharſ. v. 706. Seneca in Agamemn. v. 519. Silius Italicus IV. Punic. v. 607. Statius Theb. IX. v. 58. atque alii.

(6) *At tibi male ſit*. Scribendum videtur. *At male tibi ſit*. Nam ſecus verſiculi metrum non conſtat, neque certe alia potior eius reſtituendi ratio adeſſe apparet.

(*) Haec fabella occurrit etiam graece inter eas, quae Aeſopo tribuuntur. In Sylloge Baſileenſi anno 1781. curatâ eſt numer. 151.

FABULA XXIV. num. 102.

SERPENS ET LACERTA.

Ubi Leonis pellis deficit vulpinam insuendam esse:
hoc est ubi deficiunt vires astu utendum.

Serpens Lacertam forte adversam prenderat;
Quam devorare patulâ quum vellet gulâ,
Arripuit illa prope iacentem surculum,
Et pertinaci morsu transversum tenens,
Avidum solerti rictum frenavit morâ.
Praedam dimisit ore Serpens irritam.

FABULA XXV. num. 128.

CORNIX ET OVIS (*).

Multos lacessere debiles, et cedere fortibus:

Odiosa Cornix super Ovem consederat;
Quam dorso quum tulisset invita et diu;

I...

(*) Fabellam hanc ex ipsis istis versiculis, ut omnino videtur, interpretatam habent Romulus Rimicii lib. IV. n. 19. atque Anonymus antiquus Nilantii n. 55. Tum occurrit etiam apud Adrianum Barlandum n. 20. Petrus Burmannus autem ratus inde eam ad Phaedrum spectasse in senarios coercuit, suaeque Adpendici attexuit n. 27. Neque, ut puto, iudicium eum fefellit. Nam sin minus per iambos suos, qui immane quantum ab elegantiâ et venustate Phaedro dignâ distant, per istos vero quos modo ex probato Codice proferimus, fabellam Auctori suo restituere licebit.

I. ....it, ſi ..... (1) feciſſes Cani
Poenas dediſſes: Illa contra peſſima:
Deſpicio inermes, ..d.. (2) cedo fortibus,
Scio

(1) *I. ....it, ſi.....* Hoc loco quatuor omnino verba fuiſſe videntur. Tria priora dixeris *id, inquit, ſi*, quae quidem, omnibus ſpectatis, ut ſatis certa haberi poſſunt. Quarti vero haudita facilis reſtitutio eſt. Scribi poſſet *mordaci, iracundo*, aliaque huiuſmodi, ſed neque locus ea commode capit, neque addicunt veſtigia. Placeret *acri*, quum Virgilius Georg. III. v. 265. Horatius Epod. XII. v. 6. Ovidius VII. Metam. v. 806. aliique eximii Poetae canes *acres* dixiſſent, ſed tum ſcribendum eſſet *Id, inquit, acri, ſi tu*, quod nimium a Codicis fide diſcedit. Praeterea Anonymus Antiquus ad hunc locum ſcribit: *Cani tentationem hanc ſi feciſſes, non ferres latratum eius*: ideoque duo inde ad propoſitum noſtrum arceſſiri poſſe videntur, *latranti*, et *tentato*. Sed primum quamvis ad ſententiam non male faceret, loco non recte congruit. Alterum vero ſatis commode veſtigiis addicitur, ipſe literarum numerus, fragmenta τε ο, et τε ε, ubi in voce ſunt, eam non leviter arguunt. Attamen quis in Auctore noſtro loquendi modum, qui exſurgit, probare poterit? Equidem in Aviano ferrem, qui ſimilia habet fab. IV. v. 3. V. v. 15, VII. v. 7. atque ita porro, in Phaedro vero non ferrem. Quamobrem de iſtâ lectione vehementer eſt ambigendum, quum poriſſimum prima vocis litera longe potius ſit *d* quam *t*. Verum quidni recipiamus *dentato*, quod unice quae ſuperſunt fragmenta, ac veſtigia recipiunt? Nemo neſcit omnem canum vim in dentibus eſſe poſitam, atque inde nonnullas loquendi formulas ortas, quas Varro II. de R. R. c. 9. Horatius IV. Carm. Od. 3. v. 16. II. Epiſt. IV. 130. aliique plures uſurpant. Quamobrem mordaces homines *dentati* nonnumquam dicti ſunt, eaque de cauſſa Ciceronem chartam *dentatam* dixiſſe rati ſunt doctiſſimi viri Deſiderius Eraſmus, Marius Nizolius, et Robertus Stephanus. Quin poriori etiam ratione ea voce uri potuit Auctor noſter, quum ovis paucos dentes habeat, parum firmos, et quibus nullum plane laederet: ira ut quoad dentes *ovis* et *canis* invicem opponantur. Non abs re Ioannes Boccaccius in *Decamer. Giorn. VI. Nov. 3. Vi voglio ricordare eſſere la natura de' motti cotale, ch' eſſi come la pecora morde deono così mordere l' uditore, e non come 'l cane*.

(2) ..*d*.. Legerem *eadem*, quod omnia unice probant. *Callida* fuiſſet etiam ad rem, ſi

Scio q... (3) laceſſam ... (4) doloſa blandiar. Ideo ſenectam ..... annos (5) prorogo.

FA-

ſi Codex addixiſſet. Ceterum Phaedrus fab. 8. lib. III. v. 1.

Habebat quidam filiam turpiſſimam;
Idemque *inſigni et pulchrâ facie filium.*

(3) *Q...* Scriberem *quem. Quos* et ſententia et locus reciperent, ſed illud addicunt veſtigia. Phaedrus autem in ſimilibus ſingularem numerum amat. Sic Fab. 13. lib. III. v. 14. de Apibus et Fucis ait:

Apertum eſt quis *non poſſit, et* quis *fecerit.*

Fabul. XIV. v. 10.

Cito rumpes arcum, ſemper ſi tenſum habueris.

Fab. XV. v. 21.

Facit parentem bonitas non neceſſitas.

atque ita porro.

(4) ... Hoc loco verbum, quod ad tres fere literas abibat, deletum plane eſt. Reponerem tamen *cui*, quod locus ad amuſſim capit, et ſyntaxis probat. Scio quidem ipſum *quem*, nempe *quē*, ſcribi potuiſſe, quum *blandior* nonnumquam accuſativo copuletur; ſed ea ſyntaxis dubio procul receptior eſt, ac probatior.

(5) *Senectam ..... annos.* In iſto loco vacuo duo verba fuiſſe videntur, quorum primum ab *m* incipiebat: alterum facile fuit *et* vel potius *in*. Quamobrem non male ad ſententiam et metrum ſcriberetur:

Ideo ſenectam multam et annos prorogo.

ut *ſenectam longam* dixit Horatius II. Carm. Od. 16. v. 31. Ovidius VI. Metam. v. 37. Iuvenalis Satyr. XIV. v. 251. Vel etiam *multos in*, et legeretur:

Ideo ſenectam annos in multos prorogo.

Haec commode quidem: Sed *multam et*, vel *multos in* haud videntur loco plane ad amuſſim congruere. Re perſpectâ *mihi in* omnium maxime convenit. Et quidni recipiatur, ſi ſcribatur:

Ideo mihi ſenectam in annos prorogo.

Syntaxis, puto, elegantior etiam erit.

FABULA XXVI. n. 130.

SERVUS ET DOMINUS.

Nullum maledictum esse gravius conscientiâ.

Quum servus n..... s..... m ..... (1) Uxo-

(1) *N..... s... ...m ...* Lectio sane quam abstrusa. Nam ea verba in tabellâ defecerunt, quibus eius sententia, atque, ut ita dicam, spiritus pendebat. Quamobrem sat erit, si aliquid coniiciendo conemur. Isto igitur loco tria tantummodo verba scripta fuisse videntur, quorum primum ad sex fere literas abibat, secundum vero, ac tertium ad octo circiter supra decem. Tum iterum primum habet quamdam speciem *te noxiam*, *noxam*, *noxium*; si lineolâ, ut par est, notatur *m*, quae supra postremum elementum conspicitur. Ex alterius supereſt quoddam *sec*, vel *sce*, ex tertio vero praeter *m* perspicuum, quod tamen potius ad secundum spectare potuit, remanet initio *a* vel *u*, tum lineola verticalis, quae *l* vel *d* esse potuit. His positis, si lineola illa in primo verbo non fuit *m*, si in altero scriptum *sce*, atque in tertio *mul*, non absurde, ut puto, legi posset *noxiâ sceleris multaretur*, unde verbis ad metrum transpositis haberetur vetsiculus:

Quum servus sceleris multaretur noxiâ.

Qui ad sententiam etiam fabellae recte accommodari posset. *Noxia* autem *poenam* etiam culpae debitam significat, quemadmodum Aelius Donatus ad Terentium in Phorm. I. 4. v. 48. observat, et pluribus Nicolaus Loensis Miscell. Epiphill. lib. VI. c. 11. Verumtamen quum lineola in primo ex Codicis orthographiâ, sit *m*, tum aliud *m* ad secundum potius verbum, quam ad tertium spectet, magis fragmentis ac vestigiis congruunt *noxiam*, *secretam*, *admiserit*, quae metrum rectum nulla emendatione servant, et potiorem etiam, ni fallor, sententiam praeseferunt. Scio quidem nonnullos haud probare *noxiam* in sensu culpae, et contendere scribendum esse *noxam*, sed hi quam turpiter errarent iam innumeris fere veterum Scriptorum exemplis ostenderunt Barnabas Brissonius lib. XII. de Verbor. signific. Nicolaus Loensis loc. cit. Franciscus Sanctius in Minerv. lib. IV.

Uxorem domini ... .puiſſet ſui (2);

Id-

IV. c. 4. et Iacobus Perizonius in notis. Quin etiamſi id verum eſſet res tota aeque bene componeretur ſcribendo *commiſerit*. Quam elegánter autem dicatur *noxiam* vel *noxam admittere*, et *committere* paſſim docent teſtimonia Plauti in Trinum. I. 2. 6. Quintiliani lib. V. c. 13. Ulpiani de noxal. act. leg. *ſi quis*, et Pand. IX. I. 1. Terentii in Phorm. I. 5. 40, et in Eunuch. V. 2. v. 13. ubi ſcribit: . . . . Ch. *Unam hanc* noxiam *Mitte, ſi aliam umquam* admiſero *ullam occidito*.

(2) *Domini ....puiſſet*. Hoc loco ſeptem fere literae deſiderantur. Priores ad *qui* vel *quod* pertinuiſſe videntur, quum *q, uſat* perſpicue conſpiciantur. Sed reliquae? Divinari abſtruſum negotium eſt. *Corripuiſſet* ſervaret metrum, atque ad ſententiam accommodari fortaſſe poſſet, quum in objurgandi atque arguendi ſenſu ſumitur, ut ab Ovidio II. ex Pont. 6. v. 5. Suetonio in Aug. c. 53. in Caligul. c. 45. atque aliis pluribus factum eſt. Etiam melius faceret ad rem, ut puto, *concrepuiſſet*, ſi probatum plane eſſet in pulſandi ac verberandi poteſtate. Attamen fragmentum ſ, quod ante *puiſſet* apparet, neque hoc neque illud addicere videtur. Ideo ego ſcriptum potius arbitrarer *quod deſpuiſſet*, quod loco et veſtigiis congruit. Veteres autem revera in eos *deſpuebant*, quos atroci iniuriâ afficere volebant, quemadmodum perſpicue conſtat ex Seneca in libel. qui inſcribitur *In Sapient. non cadit iniur. c.* 1. de Ira lib. III. c. 38. de Conſolat. ad Helviam c. 13. ex Petronio Arbitro in Satur. c. 75. et 132. ex Apuleio in Apolog. S. Hieronymo Apolog. in Domnion. atque aliis pluribus. Verum eſt obſtare metrum. Sed abſurdum non puto ſcribi *deſpuiſſet quod*, ſi Phaedrus fab. 13. lib. III. v. 4. dixit *noſſet quum*. Tandem quidni potius legamus *depſuiſſet quod*. *Depſo* ad obſcenum ſenſum rite uſurpari ſatis locuples teſtis eſt Cicero ad IX. Attic. Epiſt. 22. Tum Catullus Carm. 73.

. . . *Patrui* perdepſuit *ipſam Uxorem*.

Quod ideo magis eam lectionem firmaret, quia vulgo hic legitur *peráeſpuit*. Atque haec eſſet noxia illa ſecreta quam in priore verſiculo legimus. Neque mirum, Dominum coram circumſtantibus ea de re ſervum arguiſſe, nam fieri potuit ut ille certam culpam reticeret, ſed etiamſi aperuiſſet, haud pauca exempla Veterum occurrunt, qui lepide potius et urbane ſe geſſerunt uxoribus in adulterio deprehenſis. Vide, ſi omnino lubeat, Valerium Maximum, Martialem, Apuleium, Boccaccium, atque alios huiuſmodi.

Idque ille ſciret . . . . m (3) *circumſtantibus:*
Places tibi, inq . . . . . . (4) *non debes places.*
Sed non impune qu . a . . . (5) *debes non places* (6).

FA-

(3) . . . . *m*. Verbum, praetet elementum, omnino deletum. Reponi tamen poteſt *coram*, quod fragmento, loco, ſyntaxi, ſententiaeque apte congruit.

(4) *Inq* . . . . . Scriberem atque intetpungerem *Inquit? Nam, quum.* Quorum quidem primum ex fragmento exploratum videtur, cetera vero a veſtigiis perſpicue non addicuntut. *Nam* tantummodo leviter innuitut. *Nam*, *quum* autem melius loco congruunt, quam *tu quum*, vel aliud ſimile.

(5) *Qu . a . . .* Legerem *quia quum*, quorum illud omnia, hoc ſententia tantummodo probat.

(6) Uterque igitut vetſiculus ſic ſe habebit:

Places tibi, inquit? Nam quum non debes places;
Sed non impune, quia quum debes non places:

At quae eorum ſententia eſt? Ego huiuſmodi eſſe coniicerem. Dominus ſervum ſceleſtum alloquens: Placeſne tibi, ait, modo ob patrarum facinus? Certe quidem tu quum placere tibi non debebas, antequam ſcilicet illud patrares, tum placuiſti, quia feceris. Id tamen haud impune factum eſt. Nam quum tu placere tibi magis debuiſſes eo confecto, quod voluntatem tuam ſatisfeciſſes, et genium expleviſſes, tum contra facti poenitens, malaque animi conſcientia actus tibi ipſi amplius nequaquam places. Iſta autem interptetatio quanti facienda ſit neſcio, arbitror tamen Perottum eamdem vel ſimilem tenuiſſe, quum in atgumento fabellae ſcripſiſſet: *nullum maledictum eſſe gravius conſcientiâ*. Quae quidem verba ſi ex promythio vel epimyrhio deſumta fuerunt, quod valde probabile eſt, gravius etiam noſtra confirmatur interpretario. Puto autem, hotum verſiculorum ſententiâ exploratâ, haud difficile deficientia verba reſtitui poſſe.

FABULA XXVII. num. 132.

LUPUS ET BUBULCUS (*).

Multos verbis blandos esse, et pectore infideles.

C..... *torem* (1) *celeri pede fugeret Lepus* (2) *Et*

(*) Legitur haec fabella apud Romulum Rimicii lib. IV. n. 3. Romulum Nilantii n. 38. et Anonymum antiquum n. 50. pluribus sive verbis, sive dicendi formulis de more ex iambis Nostri servatis. Eamdem vero elegis expressit Franciscus Philelphus, quos in Dissert. I. de Auct. Fabell. nov. retulimus; tum iambico carmine Fridericus Christius lib. II. Fabul. vet. Aesop. n. 16., et Petrus Burmannus, qui Addendici suae n. 23. adnectens Phaedro restituere conatus est, ad quem revera spectare iam pridem Fridericus Nilantius ad Romulum suum observaverat.

(1) C.....*torem*. Scilicet *Cum* (quum) *venatorem*, quae explorata lectio est. Fragmenta, vestigia, locus, sententia eam unam probant. Tum vox *venator* alias in fabella repetitur, eamque perpetuo servat Romulus Nilantianus.

(2) *Lepus*. Emendandum est *lupus*. Nam *lupus* non *lepus* habent universi illi Scriptores quos adduximus, et longe facilius fieri potuit, ut uno in Codice mendum irreperet, ubi vox bis tantummodo legitur, quam tot in libris, in quibus ea saepissime occurrit repetita. Neque porro aliud ipsa Fabella postulat. Uti enim, quae illud animal cum bubulco loquitur mitissimo ac timidissimo lepori convenire nequeunt, ita contra audaciori lupo congruunt. Praeterea quod malum facere poterat lepus agro, seu armentis aut gregibus rustici? Inde vero error oriri potuit, quod lepores potius, quam lupos venari dicamur, et animal quod *celeri pede fugeret* lepus satius videretur quam lupus. Obversatum fortasse est animo illud ipsius Phaedri lib. I. fab. 9. v. 4.

Leporem obiurgabat passer, ubi pernicitas
Nota, inquit, illa est; quid ita cessarunt pedes.

Attamen animadvertendum erat Venatores et lupos persequi, et venari lupos, tum et celeriter lupos fugere: Tibullus II. Eleg. I. v. 20.

Neu timeat celeres *segnior agna lupos.*

Et a Bubulco viſus veprem .. reperet (3),
Per Superos, perque ſpes omnes tuas (4),
Ne me indices, Bubulce; Nihil umquam mali
Huic agro feci, et Ruſticus ne timeret (5),

Late

(3) *..reperet*. Hìc nihil deeſt in Codice, ſed duae literae initio vocis poſitae tam confuſae ſunt, ut nil recte exprimant; Viderenturr,e, verum quid ſibi vult *rereperet*? *Rerepo* penes Scriptores, quod ego ſciam, non occurrit, et ſi occurreret, metrum obſtaret, quin recipi poſſit, quum eo verſiculus dactylo clauderetur. Romulus Nilantii innueret *quaereret*; nam ſcribit: *A quo* (bubulco) *quum lupus petiiſſet refugium bubulcus demonſtravit ei quemdam locum iam tutiſſimum*. Sed eam lectionem nullo pacto reciperem, tum quia a Codicis fide maxime recedit, tum quod lupus non veprem, quo ſe aſconderet oſtendi ſibi a bubulco petebat, ſed ne in eo receptus indicaretur venatori, qui inſtabat. Quamobrem ſatius ſcriberetur *repererit*. Sed ego genuinam lectionem putaverim *irreperet*, quod minimum a Codice abit, atque opportuniſſimam, ni fallor, ſententiam praeſefert. Syntaxis vero probata eſt. Apuleius III. Metam. p. 94. Edit. Pariſ. 1688., et VIII. p. 243. *irrepit cubiculum* ſcribit, tum IV. p. 118. *Caveam irrepſit*, et IX. p. 271. *irrepit boſpitium*. Quin vero Papinius Statius Auctoris noſtri fere aequalis IV. Theb. v. 386.

Pampineumque iubes nemus
irreptare *Lycurgo*.

et lib. XI. v. 731.

Argos eat, boſtileſque Mycenas
Squallidus irreptet.

(4) Verſiculus eſt toto pede mutilus, ſed facillima, ut puto, reſtitutio eſt. Nam commode recipitur *inquit*, et ſcribitur:

Per Superos inquit:

Quin quum quoddam *oro*, *rogo*, *precor*, ſententia magis poſtulare videatur, rectius probatur *oro*, tum quod maioris eſt poteſtatis, quam cetera, ideoque opportunius, tum quod Anonymus Nilantii perſpicue ſcribit *Oro per omnes ſpes tuas*, et Romulus *Obſecro te per omnes ſpes tuas*. Ex quibus etiam arguitur *το oro* ante *ſpes omnes* veriſimilius collocari, et totum verſiculum legi:

Per Superos oro, perque ſpes
omnes tuas.

Certe quidem *oro* initio orationis haud eleganter ponitur, et Terentius Andr. I. 5. v. 54. ſcripſit: *Per banc te dextram* oro, *et ingenium tuum*; Horatius I. Carm. Od. 8. v. 2. *Per omnes Deos te* oro; Ovidius Epiſt. Her. X. v. 148. *Per lacbrymas* oro. XIII. Metam. v. 376. *Perque Deos* oro. Et VI. v. 499. ipſum *Per Superos* oro.

(5) *Et ruſticus ne timeret*. Vitium aliquod in hoc hemiſti-

Late ſecurus. Iamque venator ſequens:
Quaeſo, Bubulce, numquid huc venit Lepus (6)?
Venit, ſed abiit hâc ad laevam; et dexteram
Demonſtrat nutu partem. Venator citus
Non intellexit, ſeque e conſpectu abſtulit.
Tunc ſic Bubulcus: Ecquid eſt gratum tibi,
Quod te celavi? Linguae prorſus non nego
Habere atque agere me maximas gratias (7),
Verum oculis ut priveris opto perfidis.

m FA-

ſtichium irrepſiſſe palam eſt, quum in quinta ſede trochaeus, in ſexta ſpondaeus offendatur. Si ſcribitur; *Et ne timeret, Ruſticus. Et Ruſticus, ne timuerit*: metrum habetur optimum, et ſententia eriam ferri poteſt, quae videtur huiuſmodi: Et ne lupus timeret, Ruſticus ait illi: late ſecurus. Et, ſi in fabella *ait* poſtularetur, legi poſſet *late, ait, ſecurus*. Quamobrem quum tam leni et facili emendatione commoda lectio verſiculo ſit reſtituta, haud pertinaciter contenderem eam adhuc corruptam eſſe ac vitioſam. Verumtamen fatendum eſt potiorem ac elegantiorem ſententiam deſiderari, nec videri Auctorem ſcripſiſſe, quod bubulcus, ne lupus timeret, ei dixerit: *late ſecurus*, ſed dixiſſe potius ſimplicitet: noli timere, late ſecurus. Quapropter ſatius fortaſſe erit, ſi reponatur: *Et ruſticus ait: ne time*: quae certe melius ad propoſitum faciunt. Syntaxis autem probata eſt: Plautus in Perſa IV. 2. v. 20. *Abi*, ne iura, *ſatis credo*. Terentius in Andr. V. 2. v. 27. *Ah!* ne ſaevi *tantopere*. Virgilius VI. Aen. v. 826.

Ne *pueri* ne *tanta animis*
aſſueſcite *bella*.

Statius Thebaid. IV. v. 512.

Ne *tenues annos*, *nubemque*
banc frontis opacae
Spernite ne *moneo*.

Elegantius ſcriberetur *ne timeas*, quod revera ſervat Romulus Nilantii, ſed quum reponendum eſſet in verſiculo: *Et ille ne timeas ait*, vel *Et Paſtor ne timeas ait*, quae immane quantum a Codicis fide diſcrepant, illis citius lectionibus adquieſcetem.

(6) *Lepus*. Iterum *lupus*.

(7) *Me maximas gratias*: Scribendum eſt *maximas me gratias*, ſcilicet ob leges carminis.

FABULA XXVIII, num. 134.

MERETRIX ET IUVENIS (*).

Multa esse iucunda, quae tamen sunt incommoda.

Quum blandiretur Iuveni Meretrix perfida,
Et ille laesus multis saepe iniuriis,
T.... .....et s.s. s.....eri (1).
S.. inf..... (2)..... licet (3)
.....dant (4), ego te plurimi facio tamen,
Iuvenis recordans quotiens deceptus foret;

Lu-

(*) Hanc fabellam habet etiam uterque Romulus, eamque tam evidenter ex istis iamdiu interpretatam, ut quae in Nostro deficiunt, ex illis veluti postliminii jure aptissime restitui possint.

(1) *T.... .....t s.s. s. .....eri*, Reponerem *Tamen praeberet sese facilem mulieri*; quae explorata videntur. Nam si fragmenta spectentur, si nonnulla vestigia, si locus, si sententia nil potius eâ lectione exsurgere inde posse dixeris. Tum vero Romulus Rimicii: *Et ille facilem se praebuit propter usum*. Loquendi autem modus est elegans. Sic Cicero I. ad Quinct. Fratrem Ep. 1. Praebere se facilem, dixit, *in hominibus audiendis, admittendisque*. Et Ovidius XVI. Epist. Her. v. 195.

Da *modo te* facilem, *nec de-*
dignare maritum,
Rure Therapnaeo nata puella Phrygem.

(2) *S.. inf.....* Legerem, et interpungerem: *Sic infidelis*; quod ex ipsis vestigiis, ut certum haberi potest. Romulus vero Nilantii: *Cui* juveni *illa* mulier non *plus quam ceteris* fidem servavit. Et Noster paullo post: *non quod fidelis*.

(3) *.....* ..... *...* *licet*, Hic nulla apparent vestigia; Spectatâ tamen sententiâ, et loco deficientium literarum, commode reponi potest *plures muneribus*, quod profecto gravissime Romulus firmat his verbis: *Deinde ..ad eum sic inquit: quamvis innumerabiles iuvenes multis muneribus circa me contendant, ego te plus omnibus illis diligo*.

(4) *.....dant*, Nempe *contendant*, quod ipsum habet Ro-

Lubenter, inquit, ... ux (5) hanc vocem audio,
Non quod fidelis, ſed quod iucunda eſt (6) mihi.

FABULA XXIX. num. 135.

FIBER.

Multi viverent, ſi ſalutis gratiâ parviſacerent fortunas.

Canes effugere quum iam non poſſit Fiber,
Graeci loquaces, quem dixerunt Caſtorem,
Et indiderunt beſtiae nomen dei,
, i (1) qui ſe iactant verborum copiâ:

Romulus, ut paullo ſuperius vidimus. Martialis porro lib. VI. Epig. 41.

Muneribus *cupiat ſi quis* contendere *tecum*.

(5) . . . . *ux*. Scilicet *mea lux*: quod omnibus ſpectatis eſt certum. Id Romulus etiam ſervat, et notus eſt blandientium luſus. V. Ovidium I. Am. 8. v. 23. II. 18. v. 23. III. Art. v. 524. Triſtium III. Eleg. 3. v. 52. etc.

(6) *Eſt*. Non abſurde omnino: Putarem tamen potius legi *es*. Etenim nec ſatis recte, nec ſatis eleganter *to fidelis*, et *to iucunda* ad *vocem* referuntur, quum contra egregie plane mulierem ſpectarent. Senſus eſſet: Ego quidem, mea lux, haec lubenter audio, non quod tu fidelis mihi es, ſed quod iucunda. Et re quidem vera haec ſcribit Romulus: *Cui ille iuvenis memor quotiens ab ea deceptus fuerat, ita benigne reſpondiſſe fertur: Et ego te lux mea, vehementer diligo, non, inquit, quod mihi fidem ſervaveris, ſed quia iucunda es mihi.*

(1) . . *i*. Hic ſententia, metrum, locus recipiunt *iſti*. Verum quum priorum literarum nulla ſuperſint veſtigia, et latiuſculum *H* congruere loco poſſit legerem potius *Hi*. Scio tum deſiderari ſyllabam in verſiculo, ſed hac ipſa ratione id facerem. Nam quid ſibi hic vult *iactare ſe verborum copia?* Nonne mens Auctoris fuit Graeculos arguere, qui tam magnifice ſe de uberitate et copia linguae ſuae iactaq

Abripere morſu fertur teſticulos ſibi,
Quia propter illos ſentiat ſe (2) peti;
Divinâ quod ratione fieri non negem:
Venator namque ſimul invenit remedium,
Omittit ipſum perſequi, et vocat canes.
Hoc ſi praeſtare poſſent homines, ut ſuo
Vellent careret uti (3) poſthac viverent.
Haud quiſquam inſidias nudo faceret corpori.

FABULA XXX. num. 136.

PAPILIO ET VESPA.

Non praeteritam ſed praeſentem aſpiciendam eſſe fortunam.

Papilio Veſpam pr..... vi.... (1), O for-

ſtabant, quum contra ea tam contracta appareret, ut uno vocabulo deus et beſtia ſignificaretur? Ergo addendum plane videtur *de*, et ſcribendum:

Hi qui ſe iactant de verborum copia.

Sic Cicero VI. Verr. c. 46. *Iactare ſe de aliqua re* dixit.

(2) *Se*. Legendum *ſeſe*. Nam ſecus verſiculi metrum non conſtat. Haec porro, ni fallor, leniſſima emendatio eſt.

(3) *Careret uti*. Irrepſit mendum: de ſede ſua litera mota eſt. Scribendum omnino *carere, tuti*, quae omnis ratio poſtulat.

(1) *Pr..... vi....* Scriberem *praetervolitantem videns*. Nam vi ac poſiturâ fragmentorum perpensâ, collectis veſtigiis, numeroque vaneſcentium literarum ſpectato id unum aptiſſime exſurgere viſum eſt. Plinius lib. X. Hiſt. nat. c. 61. *Veſpertilio volitans.* Virgilius III. Georg. v. 147.

Plurimus (inſectorum genus) volitans *cui nomen Aſilo.*

Et Eclog. VI. v. 81.

. . . Et quibus ante
Infelix ſua tecta ſupervolitaverit alis.

Tum Columella Praef. ad libros de R. R. *Saltatoris aucupium circumvolitantis limina potentiorum.*

O ſortem ..... d....m . ba.. t....s (2),

(2) ..... *d....m . ba.. t....s*. Primum hîc ſcripta fuit vox ſex fere literarum, quarum priores *in* vel *m*, unde arguitur eam fuiſſe *το miſeram* vel potius *iniquam* : Tum quoddam *ait* vel *et* ; deinceps aliud verbum ſex literarum, quarum ptior *d*, poſtrema *m* fuit, ideoque illud dixeris *damnum* vel *ductum* : Tandem eſt *barathris* . Nam ex illis fragmentis, ex nonnullis etiam veſtigiis id unum exſurgere poſſe videtur. Iſtam autem vocem praecedit particula *de* vel *e* . Quamobrem ſcriptum fortaſſe in Codice fuit :

O ſortem iniquam, ait, damnum de barathris :

vel : *O ſortem miſeram, et ductam e barathris.*

Sed haec MS. lectio erit, non vero genuina, et ſincera. Nam verſiculus integro pede vel ſaltem ſyllabâ deficit. Ego arbitrarer aliquid excidiſſe poſt *barathris* : Namque anapaeſtus eſt, quo iambi numquam clauduntur, et quamvis dici poſſit poſteriores ſyllabas pedi iambico, priorem dactylo quinti pedis inſerviiſſe id reapſe in noſtro verſiculo, ut patet, locum non habet : nec, ſi memini, elegantiores Iambi vocem anapaeſticam in fine habueruut, quae eo pacto divideretur : ideoque ſi liceret addere *το malum* legi non abſurde poſſet :

O ſortem iniquam, ait, et damnum e barathris malum :

vel etiam :

O ſortem miſeram, et ductum de barathris malum.

Barathra autem hîc dici puto ipſos folliculos, quibus ſeſe includunt papiliones, quum adhuc vermes ſunt : neque dubitari poteſt, quin ad hanc ſententiam recte verbum uſurpare liceat : Etenim eſt maxime πολυσημον, et non modo omnem foveam et voraginem ſignificat, ut Suidas, Harpocration, Heſychius, Feſtus aliique ſcribunt, ſed etiam vas ad muliebrem ornatum, quemadmodum ex Ariſtophane in Theſmoph. et Polluce lib. VII. c. 22. patet, nec non vas vimineum ut ex Boccacio in Geneal. Deor. lib. I. c. 16. atque Aelio Antonio Nebriſſenſi in ſuo Lexic. conſtat. Plauto vero Curc. I. 2. v. 29. Horatio II. Satyr. 3. v. 66. I. Epiſt. 15. v. 31. Martiali III. Epigr. 88. eſt etiam venter helluonis. Martiali iterum I. Ep. 81. uterus muliebris, et Plauto Bacchid. I. 3. v. 41. ipſa meretrix. Noſter igitur quum invidioſiſſime loquentem papilionem induceret eleganter ſane ac appoſite ea voce ad propoſitum ſuum eſt uſus. Aliquando Phaedrus fab. 5. lib. IV. v. 10. muſtelarum ventrem *tartareum ſpecum* dixit. Quin, ſi verum eſt, ut profecto videtur, eos folliculos, quibus ſe papiliones veluti mortuos condunt, dicta

Quorum ex re.....m.os a.....(3).

Ego

ctos fuiſſe *barathra*; quod ſepulchrorum ac tumulorum ſpeciem haberent, etiam ad hanc ſententiam non male vocem uſurpari arbitrarer. *Barathron* enim ſeu *berethron*, ut Homero Iliad. Θ v. 14. Odyſ. μ v. 94. Q. Calabro VI. Paralip. v. 264. aliiſque dicitur, prima ſua origine ac poteſtate quamque foveam, puteum, ſcrobem ſignificavit, et eam quidem artefactam, quemadmodum Vitruvio piſcina *barathrum* dicitur lib. ult. c. ult. quum a τρηπω vox compoſita videatur. Graeci vero vel corpora terrâ condebant, vel ſepulchra ypogaea faciebant: et ſepulchra paſſim *foveae* dicta ſunt. Praeterea ſi *berethron* ab hebraico verbo *ber* eſt, quemadmodum viſum eſt Martinio, Voſſio, aliiſque praeſtantiſſimis Etymologis, et huiuſmodi vox paullum ex ſermonis legibus deflexa, vel κατ' εξοχην eſt ſepulchrum, ut plurima S.Scripturae exempla docent. V. Pſalm. XXVII. v. 1. XXIX. v.4. LXXXVII. v. 5. 7. CXLII. v.7. Iſai.XIV. v.19. XXXVIII. v. 18. Ierem. Thren. III. v.53. 55. Ezech. XXVI. v.20. XXXI. v.14. etc. fieri potuit, ut iſtam quoque ſignificationem apud alias gentes ſervaret. Et re quidem vera in Graecorum fabula ille *Cerberus* canis inferorum ſignificaſſe videtur *clamorem foveae*, ſeu ſepulchri, quem ipſi corpore teriâ condito poſtremum edebant. V. Ab. Pluche Hiſtoir du Ciel liv. I. Ch. I. §. 18. Claudianus porro quum Tartarum, iam aliis multis *barathrum* appellatum, *barathrum ferale* dixiſſet, ad mortuorum animas dubio procul ſpectavit: Nam το *ferale* proprie vox funerum eſt, ut ex Ovidio Faſt. II. v. 34. V. v.486. III. Triſt. Eleg. 3. v. 81. Eleg. 13. v. 21. in Ibin v. 103. atque aliis pluribus patet.

(3) *Re.....m.os a.....* Hoc loco quatuor tantummodo verba ſcripta fuiſſe videntur. In primo, quamvis praeter illud fragmentum nulla omnino veſtigia ſuperſint, ex loco tamen circumſtantium literarum conſtat ſex fere elementa tantummodo deſiderari. Secundum autem haud obſcure eſt quid *anam* vel *anum*. Tertium diceres ipſum *nos*. Quartum tandem ad octo fere literas abibat. Quamobrem totum verſiculum legerem:

Quorum ex reliquiis animam nos excepimus.

Qua quidem lectione ego nil loco et fragmentis congruentius novi. *Reliquias* autem vocaſſet Auctor ipſa vermium corpora, quum ſeſe in papiliones convertunt, quum cadavera potius, quam viventia animantia videantur. Verum eſt dici proprie reliquias, quae ex corporum combuſtione ſupererant, ſed Auctor noſter fab. XIV. integra damnatorum

ca-

Ego loquens (4) *in p...* (5), *fortis praeliis*,
Arte omni princeps..... (6) *qualis fui*,
En cuncta levitas putris, et vol..... ...is (7).
Tu qui fuisti mulus clitellarius,
Quemcumque visum est laedis infixo acu... (8).
Et Vespa dignam moribus vocem edi... (9):

cadavera *reliquias* dixit. Ovidius vero XV. Metam. v. 371. papiliones *ferales* vocavit, quia scilicet veluti ex sepulchro surgere videantur, et conditi ex morte iterum reliquiisque sepulchri ad vitam regredi. Quoad *animam*, quod το ἀναπ Coditis puto, intendere potuit Auctor ad Graecorum ψυχην, quo nomine ipse papilio notabatur, quemadmodum ex Aristotele lib. V. Hist. anim. c. 19. Plutarcho II. Sympos. Probl. 3. Hesychio in voce, atque aliis patet. Tum Scholiastes Nicandri addit, quam φαλαινιν is nuncupat, eam aetate sua ψυχην appellari. Ideoque Auctor ipsa voce non animam spiritumve quo papilionis corpus informatur notavit, sed volandi facultatem, perinde ac scripsisset: ex reliquiis, quas illis sepulchris condidimus, nos deinceps sumsimus volandi potestatem, qua antea carebamus, et volatiles facti sumus.

(4) *Ego loquens*. Sic et perspicue in Codice. Quid vero si legatur *Ego eloquens*, quod sententia potius probat?

(5) *P...* Reponerem *pace*, non quod vestigia probent, quae nulla sunt, sed quod loco ad amussim plane, et fragmento congruit, atque illud *praeliis*, quod sequitur innuere videtur.

(6) ..... Verbum plane deletum. *Antea* vero loco, metro, et sententiae congrueret.

(7) *Voli . . . . is*. Nempe *volito cinis*, quod ex vestigiis quoque exploratum dixeris. Papilio autem se cinerem fortasse dicit, quod veluti ex reliquiis sepulchri, deque suis cineribus resurgeret, *Cineres* saepe et eleganter Latinis sunt reliquiae defunctorum. Cicero pro Quint. c. 31. *Obsecravit per fratris sui mortui cineres*. Phaedrus fab. 9. libr. III. v. 4.

Et cedo invidiae dummodo absolvar cinis.

Martialis V. Epigr. 13.

Quodque cinis *paucis*, *hoc mihi vita dedit*:

aliique plures similia. Sed fortasse satius ad syntaxim *volitans cinis*, ubi *cinis* esset pulvis ille quo papiliones consperſi sunt, et quo cuncta quae attingunt inficiunt.

(8) *Acu* ... Nempe *aculeo*. Cicero de Finib. V. c. 15. *Cornibus uti videmus boves*, *vespas* aculeis.

(9) *Vocem edi* ... Scilicet

FABULA XXXI. num. 137.

TERRANEOLA ET VULPES.

Pravis non eſſe fidem adhibendam.

Avis, quam dicunt terraneolam (1) *ruſtici,*
In terrâ nidum quia componit ſcilicet,
Forte occurrit (2) *improbae vulpeculae;*
Qua viſa, pennis altius ſe ſuſtulit.

Sal-

vocem edidit, quod explora-tum eſt. Sic Ovidius IV. Faſt. v. 318. in Ibin v. 224. *edere ſonos* dixit. Tibullus III. Eleg. 7. v. 9. Virgilius V. Aen. v. 499. VII. v. 194.: *edere verba*. Cicero II. Tuſc. c. 20. Valer. Flaccus IV. Argon. v. 24. *Edere voces*.

(10) *..de*. Nempe *vide*, quod fragmentum, locus, ſententia probant. Plautus Bacchid. IV. 9. v. 118. *Duae conditiones ſunt, utram tu accipias* vide. Petronius in Satur. c. 94. Vide *quam non conveniat his moribus*: et c. 102. Videte *numquid hoc placeat*.

(1) *Terraneolam*. Huiuſmodi vox vulgo in Lexicis non apparet, neque adhuc penes aliquem Scriptorem occurrit. Unus Perottus in Cornucopia ſervat p. 62. edit. Aldi 1513, eam ex iſta fabella, ut videtur, mutuatus. Neque mirum ſi Scriptoris auctoritatem non adiiciat, quum frequenter eam et in aliis praetereat. Habuit tamen ut probatum ac latinum vocabulum, et id, ni fallor, ſatis eſt. Certe quidem id Roberto Stephano docto viro ſatis fuit, ut ex Perotti fide novam illam vocem ſuo maximo Lexico adiiceret.

(2) *Forte occurrit*. Scribendum videtur *Forte occucurrit*. Nam ſecus verſiculi metrum corrumpitur. Neque vero facilior via eſt, qua iſtud reſtituatur. Porro iam vidimus ſimilem emendandi rationem uſurpaſſe Richardum Bentleium, Franciſcum Harium, Vitum Iuvenatium ad eumdem loquendi modum Phaedri Fab. 6. lib. III. v. 3. Quin hic gravior etiam incumbit neceſſitas.

Salve, inquit illa, cur me fugiſti obſecro?
Quaſi non abunde ſit mihi in prato cibus:
Grilli, ſcarabaei, locuſtarum copia (3):
... eſt quod m..uas (4) rogo, te....um diligo (5),
Propter..s..tos mores (6), et vitam probam.

Reſ-

(3) Hunc verſiculum totum probatum tenerem, quum eius ſententia optima ſit, et ſingula verba poteſtate, locoque ſuo genuina videantur: Verum quidem Chriſtianum Poetam Iuvencum lib. I. in Cap. Matthaei 3. v. 329. primam in *locuſta* corripere, quae in Noſtro producenda eſt, ut metrum conſtet; ſed tanta non eſt huius ſcriptoris auctoritas, ut aureo, argenteoque latinarum literarum aevo primam revera in τω *locuſtᾶ* correptam fuiſſe teneamus. Quin quum Iuvenci aetate veteres metri leges paſſim violarentur, oppoſitum potius ſuſpicari fas eſt. Certe quidem Iuvenalis in nomine *Locuſtae* veneficae Claudii et Neronis aetate famoſae, Satyr. I. v. 71. primam producit:

Inſtituitque rudes melior Locuſta *propinquos.*

Nec difficile eſt ſeminae ex peſſima inſectorum ſpecie ob atrocitatem ingenii inditum nomen fuiſſe. Id fortaſſe Tacitus innuit, quum lib. XII. Annal. c. 66. *Deligitur*, ait, *artifex talium*, vocabulo locuſta, *nuper veneficii damnata*: tum lib. XIII. c. 15. *damnata veneficii* nomine locuſta. Tandem Plautus in ipſa *locuſta* volucri primam produxiſſe videtur, ubi in Menech. V. 5. v. 24. ſcribit:

Medic. *Dic mihi hoc etiam ſolent tibi umquam oculi duri fieri?*
Menaech. *Quid! tu me* locuſtam *cenſes eſſe homo ignaviſſime.*

(4) *... eſt quod m..uas.* Scilicet *non eſt quod metuas*, quae plane certa ſunt. Plautus Bacchid. I. 2. v. 59. Poenul. IV. 2. v. 62. *Quid eſt quod metuas.* Pſeudul. IV. 6. v. 4. *Nihil eſt quod metuas.*

(5) *Te ...um diligo.* Nempe *te multum diligo*, quod exploratum videtur. Sic Plautus in Perſa II. 5. v. 2. *Dic me illam amare* multum. Horatius Epod. XVII. v. 20. *amata nautis* multum.

(6) *.ſ..tos mores.* Legerem *aſtutos mores*, quod fragmentis et ſententiae congruit. *Aſſuetos* etiam non male loco recipitur, et Silius VII. *aſſueto belli more* dixit, ſed ſententia, ut mihi videtur, obſtat. Quamobrem illud genuinum tenerem, quum potiſſimum veluti per antitheſim ſequatur *vita proba*. *Aſtutus* autem in bonam ſaepe partem uſurpatur pro *ſolerti*, *ingenioſo*, *prudenti*, *urbano*. Cicero II. Verr. c. 2.

Ita

Reſpondit contra: T... idem (7) bene praedicas,
Non s..... p..p... tibi (8), ſed ſum ſub dio (9):
Quin

Ita fiet, ut tua iſta ratio exiſtimetur aſtuta, *meum hoc conſilium neceſſarium*: et ibi Aſconius *aſtuta* interpretatur *urbana*: Quod poteſtate ſua ipſum revera eſt. Tum Plinius lib. XXXVI. c. 26. Aſtuta *et ingenioſa ſolertia*. Martialis XII. Ep. 89.

Excogitavit homo ſagax et aſtutus.

Scribendum vero *aſtutos propter mores*. Nam ſecus trochaeus in primâ ſede offenditur.

(7) *T...idem*. Nempe *tu quidem*, quod plane certum eſt.

(8) *S..... p..p... tibi*. Legerem *ſum tamen propius tibi*. Nihil enim fragmentis, veſtigiis, loco ſatius congruere viſum eſt. *Propius* vero cum dandi caſu habent Virgilius I. Georg. v. 355. IV. v. 47. Aen. VIII. v. 556. Plinius lib. XXVII. c. 9. aliique plures.

(9) *Sub dio*. Ita quidem plane perſpicue in Codice ſcriptum eſt, ac commodâ, ni fallor, ſententiâ. Romani enim, Varrone teſte lib. IV. de L. L. *dium* vocabant aerem circumiacentem, et ipſum quoque Coelum, Graecis, unde nomen deſumtum, τὸν Δία. Terraneola autem revera in aere manebat. Id porro apte convenire videtur hoc loco, cuius hic eſt ſenſus: Tu quidem bene et recte loqueris, ignoſce tamen mihi (ironicè), quum non ſim modo prope te ſuper terrâ, ſed ſim in aere. Quamobrem iſtam lectionem minime ſollicitandam eſſe cenſuerim. Scio quidem nonnullos autumare primam in *dio* produci, verum id haud eſt exploratum. Horatius ſane pro *dio* et *dium* II. Carm. Od 3. v. 27. III. Od. 2. v. 5. I Od. 28. v. 12. habet *divo* et *divum*: ita Lucretius IV. v. 212., et ſi qui in Claudiano de Laud. Stiliconis lib. I. v. 123. legunt:

.....et tardi ſtabra Bootae
Sub dio *ripbaea tulit*.

Stephanus Claverius, Gaſpar Barthius ex Codicum fide reſtituunt *divo*. Neque urgeri poteſt *dium* et *divum* unum videri, ideoque unam eſſe debere ſyllabarum quantitatem. Nam *deus*, *dii*, *dies*, *divus* eamdem plane habent originem, et diverſam tamen ſortiti ſunt quantitatem. Praeterea *dium* ſimpliciter eſt ἀπὸ τοῦ διός, quod primam Graecis ancipitem habet, et notum etiam pueris eſt, Latinos vocalem literam ante aliam vocalem corripere. Neque alia ex cauſſa fieri potuit, ut *Io* Inachi filiae nomen, quum vulgo primam producat, apud Ovidium, qui I. Am. 3. v. 21. II. 19. v. 22. II. 21. v. 45. ad eamdem quantitatem uſurpaverat, alias corripiat. Sic enim Epiſt. Her. XIV. v. 103.

Quid tibi cauſſa fugae? Quid
Io freta longa pererras?

Tum

Quin ſequ .. et(10) ... . *tibi*(11) *committo meam.*

FABULA XXXII. num. 2.

EPILOGUS.

De iis qui legunt libellum.

Hoc qualecumque eſt Muſa quod ludit mea,
Nequitia pariter laudat, et frugalitas,
Sed haec ſimpliciter, illa tacite iraſcitur (*).

Tum in Ibin. v. 624.

Quem memor a ſacris nunc
quoque pellit Io.

Sic in *Diana*, quae a *Deiana* facta videtur, eâdem fortaſſe ex cauſsâ prima, quae a Virgilio Georg. I. v. 503. a Propertio II. Eleg. 28. v. 60. aliiſque producitur, paſſim corripitur. Sic in *platea* cuius penultima longa eſt, brevis ab Horatio II. Epiſt. 2. 69. a Catullo Carm. XV. v. 7. atque aliis effertur.

(10) *Quin ſequ.. et*. Nempe *quin ſequor, et*, ut legendum videtur. *Sequor* autem eſt etiam *proſequor inceptum*, *pergo*. Cicero pro Caecin. c. 21. *Perge pro hoc idem interdictum* ſequi. Tacitus I. Hiſtor. c. 55. *Inſita mortalibus natura propere* ſequi, *quae piget inchoare.*

(11) ... . *tibi committo*. Legerem *ſic vitam tibi committo*. Non quod veſtigia ulla ſint; quae lectionem probent, ſed quod a ſententia poſtulari videatur. Horatius autem II. Satyr. 7. v. 67.

Committes rem omnem et vitam; et cum corpore famam.

(*) Hos tres verſiculos, qui ad longiorem Epilogum vel Prologum facillime pertinebant, huc conſulto reſervavimus. Nam ſatius ad finem quam ad initium libelli, ſatius poſt fabellas, quam inter eas immixti collocari videntur.

PARS III.

FABELLAE AVIANI.

FABELLAE AVIANI.

1. FAB. I. num. 133.

RUSTICA ET LUPUS.

Nullam esse mulieribus habendam fidem (*).

Rustica defienti *parvo* (1) *iuraverat* olim,
Ni taceat, rabido (2) *quod foret esca lupo.*
Credulus hanc vocem lupus audiit, et manet ipsas
Pervigil ante fores, irrita vota gerens.
Nam lassata puer nimiae dat membra quieti,
Spem

(*) Ex Epimythio, quod huic fabellae apponitur, nempe:

Haec sibi dicta putet, seque hac sciat arte notari,
Femineam quisquis credidit esse fidem.

Haec autem Aviani sint nec ne non contendo, antiquioris certe notae sunt, quam alia eiusmodi, et satis elegantia, quemadmodum observavit Barthius Adversar. lib. XXXIX. c. 7. et Cannegieterus ad hunc locum.

(1) *Parvo*. Editio antiqua, et Batava *puero*. Elegantior quidem est ista lectio, sed nostra genuina, quum ceterae editiones, et omnes libri mss. eam unice habeant, teste Cannegietero. *Parvum* autem hac sententiâ usurpat Prudentius Enchirid. v. 113. in Symmachum I. v. 206. Peristeph. XIV. v. 667. Ipse Symmachus lib. VIII. Ep. 68. etc. et alii sequioris aevi Scriptores.

(2) *Rabido*. Pulmannus, Neveletus, Editor antiquus vulgarunt *rapido*. Illud vero rectum, tum ex sententia, tum ex multorum Codicum fide. Certum porro est in MSS. alterum verbum in alterum saepe literae adfinitate, ut puto, transiisse. Exempla suppeditant Drakemborchius ad Silium Ital. V. v. 451. Obertus Gifanius Ind. in Lucret. v. *Victus*. Heinsius ad Ovidium II. Artis v. 374. et Cannegieterus ad hunc locum.

Spem quoque raptori ſuſtulit inde *fames.*
Hunc ubi ſilvarum repetentem luſtra ſuarum
Ieiunum coniux ſenſit adeſſe lupa.
Cur tu, inquit, (3) *nullam portas* (4) *de more* rapinam,
Languida conſumtis ſed trahis ora genis?
Ne mireris, ait, deceptum fraude maligna,
Vix miſerum vacuâ delituiſſe fugâ (5).
Nam quae praeda mihi (6), *quae ſpes contingere poſſet,*
Iurgia nutricis quum mihi verba darent,

FA-

(3) *Cur tu, inquit.* Editi *Cur inquit.* Non diſplicet *tu*; nam eſt irati et increpantis.

(4) *Portas.* Vulgo *refers*, quod plurimorum MSS. fide nititur. Alia Cannegieterо teſte, habuerunt *defers*, vel *referes*. *Refers* vero rectum, et probatum eſt. Iam non ſemel obſervavimus voces a *re* compoſitas hanc ſyllabam ancipitem habere. Sed quum declinatis latinis literis, et ad noſtra etiam tempora vulgo magiſtri doceant eam eſſe corripiendam, ideo fortaſſe qui fabellam ſcripſit ſubſtituit *portas*.

(5) Verſiculus hic ita plane legitur in libris MSS. et Editis. Sed Cannegieterus, qui Avianum ſuum a magiſtris foediſſime corruptum putat, illum ſic legit:

Vix miſer in vacua delitui uſque via.

At, eius pace, quis non videt, quantum ipſe verſiculus Auctoris praeſtet? Quid, quaeſo, eſt deliteſcere in media via? At contra iuſtâ ſententiâ lupus dicitur delituiſſe fugâ vacuâ. Homines enim inviſum animal perſequuntur, ubi datum eſt, et ad lethum petunt; ideo vivere, niſi deliteſcendo, non poteſt. Fuga vero dicitur vacua, quod nulla praeda de more referebatur.

(6) *Mibi.* Apud Canneg. pleraque MSS. habent *rogo*, *roga*, *et rogas*, quod retinet etiam Editio vetus Franciſci Maſſarii Veneti. Ex his primum rectius videtur: noſtrum tamen non reiicerem. Nam in vulgatâ *mihi* omnino ſubaudiendum eſt. Quid ergo ſi exprimitur? Neque obſtat in altero verſiculo iterum vocem occurrere. Nam haec in Aviano ad vivum reſecanda non ſunt, et quaedam antitheſis, quae oritur in huiuſmodi Fabulatore ferri profecto poteſt.

2. FAB. IV. num. 131.

BOREAS ET PHOEBUS.

Viribus potius fidendum esse quam minis.

Immitis Boreas, placiduſque ad ſidera Phoebus,
Iurgia cum magno conſeruere Iove.
Quis prior inceptum peragat: mediumque per orbem
Carpebat ſolitum forte viator iter (1).
Convenit hanc potius liti praefigere cauſſam:

n *Pal-*

(1) *Duo hi verſus*, ſcribit ad hunc locum Canneg. *ſunt mendoſiſſimi, neque tamen eſt, quod ullam opem, aut a libris vetuſtis, aut a Commentatoribus exſpectamus; nam in quibus maxime opus eſt dicto, in iis maxime tacent. Ego hos ita emendo:*

Quis prior. Inceptum peragit,
mediumque per orbem
Carpebat ſol tum forte citatus iter.

Sed ſi Canneg. non Avianum, quem ſibi confinxerat, ſed qui revera fuit, interpretari adgreſſus fuiſſet, ſi has fabellas non ad elegantiam extraneam adducere maluiſſet, ſed ad Auctoris et aevi eius ſtilum exegiſſet, neque iſta, neque cetera omnia tam fidenter prodidiſſet. Quin non vetus, ſed nova eius lectio abſurda eſt. *Quis prior*: Obſcura et ambigua dictio. Cauſſa iurgii alia fit. Praeterea Boreas et Phoebus ut Perſonae ſiſtunt ſe ad Iovem, et ibi *conveniunt*; ideoque Phoebus non poterat *citatus carpere iter per medium orbem*. Tum *inceptum peragere* eſt *perficere, complere*, interea Sol in medio orbe conſtituitur. Tandem ex duobus MSS. Gallicis, quae hanc fabellam graece habent, alterum ὁδοιπορικὸς τινος, alterum τινὰ τῶν ὁδευόντων exhibent. Neque dubium videtur, quin Avianus ſive ex alterutra iſtarum, ſive ex ſimillima fabellam ſuam concinnaverit. Sed quid tantum negotii faceſſerat Cannegietero in lectione vulgata? Illud puto *mediumque per orbem*, quod ad circulum a Sole diurno gyro confectum referebat. Alius Interpres idem ſenſit. Verum, meo iudicio, parum acute uterque. Hic, niſi fallor, *orbis* terra noſtra eſt, ad quam ſententiam vox uſurpatur a

Vir-

Pallia nudato decutienda (2) viro:
Protinus impulſus ventis circumſonat (3) aether,
Et gelidus nimias depluit imber aquas.
Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
Turbida ſummotos quo (4) trahit aura ſinus.
Sed tenues radios paullatim increſcere Phoebus
Iuſſerat, ut nimio ſurgeret igne iubar.

Do-

Virgilio II. Georg. 123. Horatio III. Carm. Ode 3. v. 7. Cicerone Verr. VI. c. 48. II. Agrar. c. 13. Ovidio I. Metam. v. 187. II. v. 254. III. Faſtor. v. 466. V. v. 93. et ceteris Scriptoribus paſſim. *Per medium orbem* porro ad eam ſententiam dici potuit, ad quam *per medium forum*, *per medium campum*, *per medios montes*, *per medium pontum* Veteres dixerunt, veluti Cicero pro Domo ſua c. 49. et ad Q. Fratrem lib. II. Epiſt. 2. Valerius Flacc. II. Arg. v. 589. Tacitus I. Annal. c. 64. XIII. c. 38. et alii. Quin, quum Boreas et Phoebus quam longe a Tellure diſtarent, praeſertim quia finxiſſet Avianus ad Iovem conveniſſe, ubicumque erat Viator in medio orbe erat.

(2) *Decutienda*. Editio vetus, et quinque Codices apud Canneg. *diſcutienda*. Sed noſtrum probatum videtur. Nam plane maiori MSS. fide nititur, et melius ad propoſitum facit.

(3) *Circumſonat*. Libri omnes editi *circumtonat*. Hoc rectum quidem eſt, ſed noſtrum reiici non poteſt. Quin fortaſſe potius, quum ampliorem ſignificationem praeferat, et ventorum etiam ſibilos, pluviae ſtrepitum, aliaque huiuſmodi omnia notare poſſit, quae aegrius aliud verbum ſignificat.

(4) *Quo*. Vulgo *qua*. Hoc vetus Editio, atque duo Pulmanni Codices ex Canneg. fide: Illud contra quinque, et editiones ab ipſo Pulmanno, Neveleto, Batavo, et Genevenſi curatae. Antiquus Scholiaſtes ſic etiam legit. Interea Cannegiet. praepoſuit *qua*, et locum hoc pacto eſt interpretatus: Qua, *ideſt qua parte ſubmotum fluctuanſque pallium trahit, atque excutere laborat Boreas ea parte viator eam duplicat, atque artius conſtringit*. Sed neſcio quomodo non viderit doctus Vir, ea lectione vel *latus* ſuperfluum fieri, vel eſſe aliud *a parte*, quod falſum eſt. Longe ergo rectius Scholiaſtes τῳ *quo* ſubaudiebat *magis*, quod proximum eſt, et ad quod plane refertur. Sententia mihi videretur egregia. Viator nempe eo magis circumdat lateri ſuo amictum duplicem, quo magis turbida aura ſummovet, et trahit ſinus.

Donec laſſa *volens* requieſcere membra viator,
Depoſita ſeſſus veſte ſederet (5) *humi*.
Tunc *victor docuit praeſentia numina Titan*,
Nullum praemiſſis vincere poſſe minis.

3. FAB. V. num. 65.

ASINUS LEONIS PELLE INDUTUS.

Debere ſe unumquemque metiri, nec alienis laudibus ſe ornare (*).

Exuvias aſinus gaetuli forte leonis
Reperit, et ſpoliis induit ora novis.
Aptavitque ſuo incongrua tegmina membris,
Et miſerum tanto preſſit honore caput.
Aſt ubi terribilis animo (1) *circumſletit* (2) *horror*,

(5) *Sederet*. Sic vetus Editio et plerique Codices. Cannegiet. autem repoſuit *reſedit*, quod quatuor MSS. exhibuerunt. Non hercle male : Sed quum noſtrum maiore auctoritate nitatur ; tum paullo ante eſſet *ſurgeret*, et *donec* cum ſubiunctivo vel futuro frequentius uſurpetur, hoc praeferrem.

(*) Ex parte epimythii, quod Aviano tribuitur, nempe:

Metiri ſe quemque decet, propriiſque iuvari
Laudibus, alterius nec bona ferre ſibi.

Hi autem verſiculi vel genuini ſunt, vel bonae notae. Cannegieterus : *Cuiuſcumque autem ſunt*, ait, *non indignos putavimus animadverſionibus noſtris, nam antiqui ſunt et probandi*.

(1) *Animo*, quae lectio eſt omnium librorum ſive mss., ſive editorum. Sed Cannegpluribus contendit legeudum eſſe *mimo*, quia *ſenſu bono* non putat dici poſſe *animo*, et quod Dukerus quidem ad Florum II. 14. Salmaſius ad Volcat. in vita Avidii Caſſii c. 7. Heinſius ad Ovid. de Ponto IV. 16. 30. obſervaſſent alterum verborum in alterum

4. FAB. VI. num. 129.

RANA ET VULPES.

Detrahere ſibi fidem, qui alios facere volunt, quales ipſi non ſunt.

Edita gurgitibus, olimque (*) immerſa profundo,
Et luteis tantum ſemper amica vadis:
Ad ſuperos colles, herboſaque prata recurrens,
Mulcebat miſeras turgida rana feras.
Callida quod poſſet gravibus ſuccurrere morbis,
Et vitam ingenio continuare ſuo.
Nec ſe Paeonio iactat ceſſiſſe magiſtro,
Quamvis perpetuos curet in orbe deos.
Tunc vulpes pecudum ridens aſtuta quietem,
Verborum vacuam prodidit eſſe fidem.

terrebat feras, ſed pelle leonina, qua horrebat: Ideoque valde veriſimile putatem, quod et Cannegiet. obſervavit, hunc nempe loquendi modum ex Phaedro deſumtum fuiſſe, qui fab. 11. lib. I. v. 6. de ipſo aſino cum Leone venante ſcribit: *Ut ea ſueta voce terreret feras.* Interea lectionem noſtram *Codices plerique omnes* exhibuerunt Canneg. ipſaque placebat non leviter Isaaco Neveleto. Tandem Guillelmus Hermannus qui ſaec. XV. fabellas Aviani ſolvit, et interpretatus eſt: *Aſinus* ait, *viſo bero occurrit, immo cum rugitu ſuo incurrit.*

(7) *Fallax*. Ita et duo alii Codices apud Canneg., tum editio eius, Lugdunenſis, Genevenſis, et Batava. Ceteri *fallis*.

(*) *Olimque*. Sic libri omnes mss. et editi apud Neveletum ac Canneg. Ille autem malebat legere *limoque*, quum vim *et olim* non adſequeretur, et putaret rectius facere ad rem reſtitutionem ſuam. Sed vulgata lectio omnino vera et probata eſt. Nam recte dicitur: rana ad colles ſuperos recurrit, quae olim immerſa fuit profundo. Contra *immerſa limo* nullo pacto, quae finguntur, petagere potuiſſet.

Haec dabit aegrotis, inquit, medicamina membris,
Pallida caeruleus cui notat ora color?

5. FAB. VII. num. 127.

CANIS NOLAM GERENS.

Multis ad ignominiam adſcribi, quae ſibi laudi eſſe putant.

Forte canis quondam nullis latratibus horrens;
Nec patulis primum *rictibus ora* trahens:
Mollia ſed pavidae ſubmittens verbera caudae,
Concitus audaci vulnera dente dabat.
Hunc dominus ne quem probitas *ſimulata* lateret,
Iuſſerat in rabido gutture ferre nolam (1).

Fau-

(1) *Nolam*. Hanc lectionem conſtantiſſime retinent alii quindecim Codices: tum libri editi plerique omnes. Quin cetera MSS. adhuc nota ad eam etiam accedunt. Cannegieterus tamen, qui haec omnia noverat, legere maluit *notam*, quod et aliis nonnullis placuit: ſed nemo ex eis auctoritatem ullam adtulit, quae lectionem novam tueretur. Neque ea quae ille in veterem obiicit alicuius ponderis eſſe videntur. Ait primo haud potuiſſe ſcribi hìc *nolam* prima correpta, quum *nola* tintinnabulum a Nola Campaniae urbe ſit, quae primam producit. Sed quid tum, quaeſo? Nonne gravius etiam interdum in metra peccat Avianus? Prudentius autem qui ad eius ſtilum, atque aetatem accedit primam in *Nolanus* corripuit. Periſteph. IV. de S. Hippol. v. 108.

Campanus Capuae iamque Nolanus adeſt.

Nemo vero ſive exemplo ſive ratione oſtendere poteſt in *nola* tintinnabulo primam eſſe neceſſario producendam. Si *liquor* nomen, et *liquor* verbum, ſi *ducis* a *dux*, et *duco* verbum, *ſopor*, et *ſopio*, *ditio*, et *ditis* aliam quantitatem in priori habent, quidni *nola* tintinnabulum, et *nola* urbs, praeſertim quum gravis ratio adeſſet, ut

id

Faucibus innexis (1) *crepitantia ſubligat aera*,
Quae facili motu ſigna cavenda darent.
Haec tamen ille ſibi credebat praemia ferri,
Et ſimilem turbam deſpiciebat ovans.
Tunc inſultantem ſenior de plebe ſuperbum
Adgreditur (2), *tali ſingula voce* monens:
Infelix! quae tanta rapit dementia ſenſum,
Munera per meritis ſi cupis iſta dari?
Non hoc virtutis decus oſtentatur in aere,
Nequitiae teſtem ſed geris inde ſonum.

id fieret, ne ſcilicet vox ambiguitatem pareret? Sed urget Cannegieterus: Si hic *nola* legendum eſt, tum habebitur ingrata τautoλογια. Eſto. Haud una iſta erit quae in Aviano offendetur. In ſequenti verſiculo:

Faucibus innexis, crepitantia ſubligat aera.

innectere et *ſubligare* idem ſunt. Sic Fab. IV. v. 6.

Pallia nudato decutienda viro.

nudare et *decutere pallium* idem ſunt, ab aliis exemplis ſupersedeo, quae tot ſunt, ut Scriptoris ſtilum et ingenium plane faciant. Sed hoc loco potius repetitio illa ferenda videtur, quum rei expoſitio ſit, et deſcriptio. Alii Poetae id etiam aliquando faciunt. Accedit porro, quod ut proprie hic *nola* uſurpatur, ſic minus proprie *nota* obtruderetur. Nam de *nolâ* revera agitur, et Ugutio, ac Ioannes de Ianua apud du Change ſcribunt: *Nola Civitas Campaniae, et hinc* nola *illud tintinnabulum quod appenditur collis canum.* Contra autem *nota* ad hanc ſententiam, niſi fallor, numquam uſurpata occurrit. Ea enim penes Scriptores omnes, quos novimus eſt quidquid rerum ſuperficiei haeret, vel eâ imprimitur, ideoque quae colore, ſcriptura, aliove ſimili pacto apparent; naturales quaedam maculae, et leviora tubera tantummodo notae dicuntur.

(1) *Innexis*. Nonnulli ex libris editis *et nexis*. Noſtrum autem retinent praeter editionem veterem, et alias plures, quindecim MSS. apud Canneg. qui iure lectionem multis tuetur.

(2) *Adgreditur*. Multi ex vulgatis libris, et nonnulli Codices *alloquitur*. Sed noſtrum probatum videtur. Nam retinent ſexdecim MSS. Editio vetus, atque aliae plures, et praeſtantiores.

6. FAB. VIII. num. 6.

CAMELUS ET IUPITER.

Non esse plus aequo petendum.

Corporis immensi fertur pecus isse per auras,
Et magnum precibus sollicitasse Iovem.
Turpe nimis cunctis (1) irridendumque videri,
Insignes geminis cornibus ire boves:
Et solum (2) nulla munitum parte camelum,
Obiectum (3) cunctis, expositumque feris.
Iupiter

(1) Hunc versiculum corruptum putat Cannegieterus, arque Avianum revera scripsisse:

Turpe nimis gibbis se, videndumque videri.

Nam *insignis*, ait, *librariorum error vitiavit hunc versum. Desernnt hîc nos Codices omnes, qui quasi data opera in eumdem errorem sese proruunt.* Sed qui huiusmodi emendandi interpretandique modus est? Si haec licerent, ubi plurimorum codicum, et omnium Editionum auctoritas contra stat, quis esset Scriptoris locus, quem ad ingenium suum quisque invertere tuto non posset? At sententia haud rectissime procedit. Esto. Avianus is non est cuius versiculi ad Virgilii, atque Horatii limam normamque sunt exigendi. Sed quod gravius, Cannegieterus Aviani sententiam, quae ferri profecto potest, adsecutus non videtur. Ea huiusmodi est. Videri nempe omnibus indignum, boves duobus cornibus insignes arma habere, quibus se a feris tueantur, Camelum contra nulla parte corporis munimine aliquo instructum, quo se ab illis defendi posset. Hic vero nec *gibbae* sunt, neque eis locus esse potest.

(2) *Et solum*. Multi ex editis libris *se solum*. Haud recte: nam e vestigio est *to camelum*, et elegantius ad invidiam de nobis ipsis in tertiâ personâ loquimur. Nostrum autem duodecim Codices habent, et praestantiores editiones.

(3) *Obiectum*. Ita plerique Codices et libri editi. Alii *abiectum*; sed illud non modo potiori auctoritati nititur, verum etiam ex verborum proprietate usurpatur.

Iupiter arridens (4), *poſtquam ſperata* negavit,
Inſuper et magnae ſuſtulit auris onus.
Vive minor merito, cui ſors non ſufficit, inquit,
Et tua perpetuo (5), *livide, damna geme.*

7. FAB. IX. num. 12.

DUO VIATORES ET URSA.

Non facile cuique fidendum eſſe.

Montibus ignotis, curviſque in vallibus artum
Cum ſocio quidam ſuſcipiebat iter.
Securus quodcumque malum fortuna tuliſſet,
Robore collato poſſet uterque pati.
Dumque per inceptum vario ſermone feruntur,
In mediam praeceps convenit (1) *urſa viam.*
Horum alter facili comprendens robora curſu,
In viridi trepidum fronde pependit onus.

Ille

(4) *Arridens.* Hoc verbum haud omnino perſpicue in Codice noſtro legitur; ſed certum eſt ſcriptum fuiſſe vel ipſum *arridens* vel *at videns*. Primum retinuimus, quod lectio ſit longe vulgatior et receptior. Attamen alterum potius placeret. Videtur enim neque exemplis, neque ratione defendi poſſe ad hanc ſententiam *arrideo*, quidquid Cannegieterus contra adſtruet.

(5) *Perpetuo.* Vulgo *perpetuum*, quod in Aviano non damnarem, ſed illud rectius, et frequentius uſurpatur.

(1) *Convenit*, quae librorum fere omnium tum mss. tum editorum lectio eſt, et quidem recta: nam hîc *convenire* eſt ad aliquem locum una cum aliis adeſſe; quamobrem iure eam probavit doctiſſimus Barrhius. Nonnullae editiones, Neveleto auctore, habent *praevenit*, ſed, ut quiſque videt, parum recte; neque melius rem confecit Cannegieterus ſcribens *en venit*, quod nulla plane auctoritate defenditur, vel ratione.

Ille trahens nullo iacuit veſtigia greſſu,
Exanimem ſimulans (2), *ſponte reliſus humi* (3).
Continuo praedam cupiens fera ſaeva cucurrit,
Et miſerum curvis unguibus ante levat.
Verum ubi concreto riguerunt membra timore:
(Nam ſolitus miſeri (4) *liquerat oſſa calor.)*
Tunc olidum credens, quamvis ieiuna, cadaver
Deſerit, et luſtris conditur urſa ſuis.
Sed quum ſecuri paullatim in verba rediſſent,
Liberior iuſto, qui fuit ante fugax:
Dic, ſodes, quidnam trepido tibi retulit urſa?
Nam ſecreta diu, multaque verba dedit.

Ma-

(2) *Simulans*. Vulgo *fingens*, non male quidem, ſed noſtrum certe potius ex verborum proprietate.

(3) *Reliſus humi*. Hanc lectionem retinent, aut innuunt Codices bene multi, Editio vetus, et pleraeque aliae. Cannegieterus tamen, de more, nulla auctoritate niſus legere maluit *refuſus humi*. At *refuſus* ad delicias uſurpatur a Lucano VIII. v. 103. Claudiano Praef. in Epital. Honor. v. 5. etc. atque aliis.

(4) *Miſeri*. Vulgo legitur *mentis*. Sed quid ſibi velit *mentis calor qui oſſa relinquat* non apparet perſpicue. Dici quidem poſſet calorem mentis eum eſſe, quo mens ſeu anima corpus vivificat atque inſtruit, ſed tum de mortuo ageretur, quod falſum eſt. Difficultatem vidit Cannegieterus, et totum verſiculum ſic emendandum duxit:

Nam ſolitus mentem liquit et oſſa calor.

Sed doctus vir ne tanta quidem immutatione rem acu tetigit. Nam praeter quam quod ad propoſitum non facit liqueritne mentem calor an non: certe quidem, quo membra rigeant neceſſarium non eſt animi deliquium. Scribendum ergo erat potius *Et ſolitus* etc. et verſiculus parentheſi liberandus. Verum id emendare non eſt, ſed Auctorem corrumpere. Propterea putarem ſatius lectionem Codicis noſtri recipere, qua levi immutatione utrique verſiculo ſat inſta ſententia reſtituitur. Virgilius autem Aen. IX. v. 475.

. . . . *At ſubitus miſerae calor oſſa reliquit.*

Et dubium non eſt, quin Avia-

Magna (5) *quidem monuit, tamen haec quoque maxima iuſſit,*
Quae miſero ſemper ſunt facienda mihi.
Ne facile alterius repetas conſortia dixit,
Rurſus ab inſana ne capiare fera.

8. FAB. X. num. 60.

EQUES CALVUS.

Aliquando brevi dicto evitari iuſtam calumniam.

Calvus eques capiti (1) *ſolitus religare* capillos,
Atque alias nudo vertice ferre comas.
Ad Campum nitidis venit conſpectus in armis,
Et facilem frenis flectere coepit equum.

Huius

vianus per eius veſtigia, ut poterat, aliquando inceſſerit, quemadmodum ipſe Cannegieterus paſſim obſervat. Verum quidem eſt paullo ſuperius occurriſſe iterum *miſerum*, ſed id nihil obſtat; nam in huiuſmodi Fabulatore haec ferri poſſunt. Fab. VIII. v. 7. *Turpe ninis* cunctis. V. 10. *obiectum* cunctis, Fab. X. v. 2. *nudo vertice*. v. 7. *frons nuda*. Similia alibi. Hîc autem *miſeri* parentheſi clauditur, et dici etiam poteſt ad illud ſuperius directe referri, ideoque iure potius repetitum videri.

(5) *Magna*. Hoc libri editi omnes; et plerique ſcripti, retinent alii quatuor Codices *multa*. Cannegieterus hanc lectionem arripuit, atque illi praetulit, autumans ſatius eo pacto quaeſtioni ſatis fieri. Ego tamen ſecus putarem. Nam quum alter ſociorum dixiſſet Urſam *multa verba dediſſe* alteri, ſi hic *multa* reſponderet de ipſis verbis intelligendum quoque eſſet, quod fieri nequit, ut patet. Praeterea, quum ſtatim ſequatur *maxima*, ordo et gradus rerum *magna* poſtulat.

(1) *Capiti*. Sic MSS. omnia, Canneg. teſte: libri vero editi multi *capitis*. Dubium non eſt, quin ea lectio potior ſit tum auctoritate, tum ratione,

Huius ab adverſo boreae ſpiramina perflant;
Ridiculum populo conſpiciente caput (2).
Nam mox deiecto nituit frons dura (3) *galero*;
Diſcolor appoſita quae fuit ante coma.
Ille ſagax, tantis quod (4) *riſus millibus eſſet*;
Diſtulit admota calliditate iocum,
Quid mirum, referens, poſitos (5) *fugiſſe capillos,*
Quem prius aequaevae deſeruere comae.

9.FAB.

(2) In toto hoc diſticho tam grave *ulcus latere* autumat Cannegieterus, ut ſe ad *curationem* imparem fateretur. Nos autem legemus commode, quae librorum fere omnium conſenſus exhibet. Non diffitemur loquendi modum abruptum et inficetum. Sed is Avianus eſt; non quem ſibi finxerat doctiſſimus ceteroquin Interpres.

(3) *Dura*. Vulgo *nuda*, quod potius ex Scriptoris ſtilo videtur.

(4) *Quod*. Ita plerique Codices, et libri editi. Cannegieterus tamen unius MS. auctoritate probavit et recepit *Quum*: non quidem male, ſed, ſi animadvertimus, noſtrum etiam ad ſententiam melius facit; nam rationem et cauſſam facti oſtendit.

(5) *Quid mirum referens poſitos*. Haec librorum fere omnium lectio eſt. Aliqui tantum, quod ſciam, *referens* poſtponunt, quod leve eſt. Nicolaus Heinſius legere malebat *appoſitos*, ſed nulla neque metri, neque ſententiae neceſſitate. Hoc ſenſu eleganter ſane *capilli poſiti* dicuntur, ut Cannegiet. etiam monet. At is ſic verba interpungebat: *Quid? mirum referens poſitos*. Sed neſcio quomodo non viderit hoc pacto ſyntaxim corrumpi. Nam quum *quid?* verbum eſſet equitis populum alloquentis, *referens* inopportunum eſt: *Quid mirum* porro probatiſſimum eſt, et frequenter a Scriptoribus uſurpatum, veluti ab Ovidio Epiſt. III. v. 4. et 63. Faſtor. VI. v. 289. Propertio IV. Eleg. 4. v. 87. et 89. atque aliis pluribus.

9. FAB. XI. num. 124.

OLLA AEREA ET LUTEA.

Naturâ qui imbecilliores ſunt ſemper timere.

Eripiens (1) *geminas ripis cedentibus ollas,*
Inſanis pariter flumen agebat aquis.
Sed diverſa duas ars et natura creavit,
Aere prior fuſa eſt, altera ficta luto.
Diſpar erat fragili et ſolidae concordia motus,
Incertumque vagus amnis habebat iter.
Ne tamen eliſam (2) *confringeret aerea teſtam,*
Iurabat ſolitam longius ire viam.

Illa

(1) *Eripiens*. Haec lectio plane vulgata eſt, aliorum Codicum fere omnium auctoritate firmata. Cannegieterus contra probavit et recepit *arripiens*, quod unum MS. exhibuit, ratus hoc verbum potius ad rem eſſe. Sed *ollae* illae undenam *arreptae* ſunt, ſi hac ſyntaxi *ripis cedentibus* eſt ablativus, quem abſolutum vocant, et *cedere* hic eſt *ſubſidere*, et in aquis latere? *Eripiens* ergo potius ſive *ripis* ablativus eſt, ita ut eſſet *rapiens e ripis*, ſive dativus *abripiens ripis*.

(2) *Eliſam*. Cannegieterus repoſuit *illiſam* ſcribens: *quod attinet ad* eliſam *cui tenaciter inhaerent ſcripti editique libri omnes ab loco alienum puto, legendumque illiſam*. Nos lectionem vulgatiſſimam tuemur. Nam *eliſus* interdum eſt *preſſus, percuſſus, in medio conſtrictus*, quemadmodum ex Lucretio IV. v. 299, et 314. Curtio IX. c. 2. et aliis conſtat. Quin etſi vox minore auctoritate niteretur, et quid effractum atque imminutum ſignificaret recipienda etiam eſſet, quum plane ex Auctoris ſtilo videatur. Is enim paſſim conſuevit participio adiecto praeterita facere, quae praeſentia vel futura ſunt, et ταυτολογιαν inducere; cuius et ſuperius meminimus. Si quis alia exempla deſiderat, videat fab. IV. v. 10. V. v. 19. VII. v. 9. et ita porro.

Illa timens ne quid levibus graviora nocerent;
Et quia nulla brevi eſt cum meliore fides (3):
Quamvis ſecuram verbis me feceris, inquit,
Non timor ex animo decutiendus erit (4).
Nam me ſive tibi, ſeu te mihi conferat unda,
Semper ero ambobus ſubdita ſola malis.

10. FAB. XII. num. 72.

RUSTICUS QUI THESAURUM INVENIT.

Quod omnes in Fortunam calamitatis cauſſam reiiciant.

Ruſticus impreſſo molitus vomere terram,
Theſaurum ſulcis proſiluiſſe videt.
Mox indigna, animo properante, relinquit aratra,
Semina compellens ad meliora boves (1).

Con-

(3) Huius et ſuperioris diſtici interpunctio haec ipſa eſt in omnibus libris editis, et recta quidem ſententiâ: Nam ea huiuſmodi eſt. Olla aenea iurabat teſtae, quod nullo pacto eam confringeret, ſi una proceſſiſſet, ideoque aliquanto procul iter ſuum peregiſſet: ſed lutea timens ne gravia, ut fit, levia laederent, et ſciens nullam eſſe fidelem ſocietatem inter potentem et inopem; ait etc. Contra tamen Cannegieterus aliam interpunctionem nulla ratione induxit, et in Textum obſtruſit.

(4) *Decutiendus*. Hoc pleraequae omnes editiones, et multi Codices. Alii vero habent *diſcutiendus*, quod etiam rectum eſt. V. fab. IV. v. 6.

(1) Huius verſiculi lectionem conſtantiſſime retinent libri fere omnes tum mss. tum editi, ideoque ea genuina dicenda eſt, ſi quid Critices leges valent. At Cannegieterus corruptam autumat, et legendum, etſi nullâ auctoritate, contendit:

Omi-

Continuo ſupplex Telluris inſtruit (2) *aras,*
Quae ſibi depoſitas ſponte dediſſet opes.
Hunc Fortuna novis gaudentem provida (3) *rebus*
Admonet, indignam ſe quoque ture dolens.
Nunc inventa meis non prodis munera templis,
Atque alios mavis participare Deos.

Sed

Omina repellens ad meliora boves.

Tum hanc ſententiam adfingit: *Ruſticus repellit a ſe boves, quum omina eſſent ſibi meliora.* Rectene iſta, quaeſo, procedunt? Nollem Interpreti doctiſſimo excidiſſe. Quae verſiculi novi ſyntaxis eſt? Quomodo adfictam ſententiam habet? Ego lubenter fateor vulgatum verſiculum et inconcinnum et inficetum eſſe, ſed vitium non in lectione eſt, ſed in Auctore. Hic ut mediocris ingenii vir et rudis ſtili tum male res interdum mente concipiebat, tum male digerebat, et inepte ſermone ipſo exprimebat. Sententia autem vulgati verſiculi haec eſſe videtur. Fabulator metaphorice loquitur: Ruſticus educens boves ab arvis, quibus ſemina tantis eorum laboribus iecerat, compellebat ad loca, quorum meliora ſemina erant, ſcilicet ubi vitâ melius fruerentur, neque tantis aerumnis obnoxii eſſent.

(2) *Telluris inſtruit.* Sic quidem tres alii Codices apud Canneg. atque Editiones Lugdun. et Genev. Reliquae tamen fere omnes *Telluri conſtruit*, quod tenendum videtur.

(2) *Provida.* Haec Canneglieterus: *Nihil hic variant Codices, qui tamen omnes erroris hic facile convincuntur. Nam quis umquam fortunam* providam *dixit finxitque? . . . Priſtinae integritati forte hoc modo reſtituetur verſus:*

Hinc fortuna novis gaudens
ita prodita rebus.

Atque ita opinio ſua, quam ſemel imbiberat, tranſverſum agebat Interpretem hunc ſane doctum, dignumque ut Poetis longe praeſtantioribus egregiam operam ſuam navaret. Exploratum plane ſit nullum adhuc *Fortunam* dixiſſe *providam*. Quid tum? Avianus dixit. Quot ſunt quae omnium primus Cicero, omnium primus Horatius, Virgilius, Ovidius, aliique huiuſmodi protulerunt? Quod ſi Fortuna *perfida* illis dicitur, quibus munera ſua negat vel eripit, cur *provida* iis non appellabitur, quos ditat et locupletat? Quin in Fabellâ verbum potiorem habet ſignificationem, et egregie rei congruentem. Nam Fortuna iure dicitur provida,

Sed quum ſubrepto fueris triſtiſſimus auro,
Fortunam lacrimis (4) *ſollicitabis inops.*

11. FAB. XIII. num. 122.

TAURUS ET HIRCUS.

Interdum homines metu maioris cedere etiam minoribus.

Immenſum Taurus fugeret quum forte Leonem,
Tutaque deſertis quaereret antra viis (1):
Speluncam *reperit, quam tunc hirſutus habebat,*
Cyniphii ductor qui gregis eſſe ſolet (2).

Poſt

quum nonnulla prudenter Ruſticum moneat, et honori dignitatique ſuae recte *provideat*.

(4) *Fortunam lacrimis*. Libri editi *me primum lacrimis*. Noſtrum magis placeret, ſed ab altero eſt potior auctoritas.

(1) *Viis*. Ita plerique libri et mss. et editi. Neveletus autem ex fide Palatini Codicis, ut ipſe aiebat, legere maluit *iugis*, quod etiam Cannegieterο placuit, qui ſcripſit: *Ex noſtris* (MSS. decem et octo) *id* (iugis) *nullus adducit, et tamen illud genuinum puto. Primum quod antra et ſpeluncae ad montes eſſe conſueverunt . . . Deinde quod v. 7. vallis fit mentio . . . vallis non eſt ſine monte*. Sed argumenta iſta ſunt quibus tam recepta et probata lectio expungatur? Contra autem quum *iuga* ipſi ſint vertices et cacumina montium, ea neque facile ſuperantur, neque antra haberi ibi poſſunt. Quin quum taurus hircum de longa valle alloquatur non in iugo, ſed haud procul antrum ſtatuendum videtur.

(2) *Qui gregis eſſe ſolet*. Haec plurimorum librorum lectio eſt. Pulmannus tamen, Neveletus, et Cannegieterus legerunt *qui ſolet eſſe gregis*, quia numeroſius hoc pacto hemiſtichium efferri arbitrarentur. Sed, praeter quam quod lectiones minime effingendae ſunt ad iudicium aurium, hoc ipſum iudicium late varium eſt, et plures profecto erunt, qui

Poſt ubi (3) *ſummiſſa meditantem irrumpere fronte,*
Obvius obliquo terruit *ore caper:*
Triſtis *abit* longaque *fugax de valle locutus;*
Nam timor expulſum iurgia ferre vetat.
Non te demiſſis (4) *ſetoſum putide barbis,*
Illum qui ſupereſt, conſequiturque (5) *tremo.*
Nam ſi diſcedat, noſces, ſtultiſſime, quantum,
Diſcrepet a tauri viribus hircus olens.

12. FAB. XIV. num. 16.

SIMIA ET IUPITER.

Sua cuique maxime placere.

Iupiter in toto quondam quaeſiverat orbe,
Munera natorum qui meliora daret.

qui contra noſtrum melius etiam ad numerum procedere iudicabunt.

(3) *Poſt, ubi*. Id quatuordecim Codices apud Canneg. tenent, tum editio vetus, et pleraeque aliae. Ille vero, Pulmannus, et Neveletus vulgarunt *aſt ubi*. Elegantius hoc quidem ad ſententiam, ſed illud improbari nequit, ideoque tanta auctoritate firmatum, ut genuinum habendum eſt.

(4) *Demiſſis*. Alii *dimiſſis*. At illud unice tenendum eſſe pluribus oſtendit Cannegieterus.

(5) *Conſequiturque*. Sic MSS. pleraque, et multi libri editi. Neveletus autem, et Cannegieterus unius Palatini codicis auctoritate receperunt *inſequiturque*. Verum tamen lectio noſtra, niſi fallor, etiam quoad ſententiam praeſtat. *Inſequor* enim rem determinatam, et certum veluti ſignum poſtulat, ideoque illi *inſequuntur*, qui per certa veſtigia incedunt. Quamobrem quum taurus hircum alloquatur, et ſubiungat *ſi diſcedat*, ſatis clare oſtendit leonem haud per certa veſtigia feſtinare. *Conſequebatur* igitur hic non inſequebatur.

Certatim ad gregem (1) *currit genus omne ferarum,*
Permixtumque homini cogitur ire pecus (2).
Sed nec ſquamigeri deſunt ad iurgia piſces,
Vel quidquid volucrum purior aura vehit.
Inter quos trepidae ducebant pignora matres,
Iudicio tanti diſcutienda Dei.
Tunc forte (3) *informem traheret quum ſimia natum,*
Ipſum etiam in riſum compulit ire Iovem.
Hanc tamen ante alios rumpit (4) *turpiſſima vocem,*
Dum geniti (5) *crimen ſic abolere cupit:*
Iu-

(1) *Gregem*. Mendum eſt. Legendum *Regem*, quod libri omnes ſcripti editive habent, et recte.

(2) Totum hoc diſtichon, ſi leviſſima quaepiam excipies, ita plane exhibent libri plerique omnes tum mss. tum editi. Et iure quidem; nam ſententia recta eſt, quum ab Aviano dicatur, feras, pecudes, homines ad Iovem cucurriſſe. Feras autem a pecudibus diſtinxit Virgilius Georg. IV. v. 223.

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum.

Tum Calpurnius Nemeſianus Eclog. II. v. 10.

Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum.

Et alii porro. Interea corrupta omnia, et peſſumdata clamat Cannegieterus, et legendum autumat:

Certatim tuit ad Regem genus omne formae,
Et permixta humani cogitur ire fera.

Quae ferenda eſſent, ſi vulgatis ſaltem et receptis aliquo pacto eſſent potiora.

(3) *Tunc forte*. Libri editi, quos novimus, tunc *brevis*. Equidem neſcio quanta Coditum auctoritate utraque lectio nitatur, quum locum hunc ſicco veſtigio praetergreſſus fuerit Cannegieterus. Verum, ſi fere aequa eſſet, tum pro noſtrâ ſtarem. Nam quid hîc *Simia* diceretur *brevis*? Nonne plurima alia animalia eâ erant ibi exiguiora?

(4) *Rumpit*. Alii *rupit*. Noſtrum potius, quum in pentametro ſit *cupit*.

(5) *Geniti*. Vulgo *generis*. Hoc quidem non abſurde in Aviano teneri poteſt. Sed ſi lectio noſtra praeſtat, cur eam non praeferemus? Haud difficile fuit alterum in alterum tranſiiſſe. Quin quum apud Canneg. tres Codices *genetrix*, tres alii *genitrix* haberent, ut inde variam et corruptam eſſe MSS. lectionem arguimus, ita

Iupiter hoc norit, maneat victoria ſi quem,
Iudicio praeeſt (6) *omnibus iſte meo.*

13. FAB. XV. num. 121.

GRUS ET PAVO.

Saepe in mediocri aſpectu maiorem eſſe virtutem.

Threiciam volucrem fertur Iunonius ales
Communi ſociam continuaſſe (1) *cibo.*
Namque inter varias fuerat diſcordia formas,
Magnaque de facili iurgia *lite trahunt.*
Quod ſibi multimodo fulgerent membra *decore,*
Caeruleam facerent livida terga gruem.

ita noſtram maiori fiducià et ratione tueri poſſumus.

(6) *Praeeſt.* Libri editi *ſupereſt.* Et hic aliorum Codicum lectio ignota mihi eſt, ideoque dicam, quod ſentio. Vulgatam quidem lectionem in Aviano non damnarem, quamvis *ſupereſſe* ad hanc ſententiam uſurpatum nullo aequo exemplo ex probatis Scriptoribus defendi poſſit. Nam fab. XIII. v. 10. verbum eodem fere ſenſu occurrit. Verumtamen praeferrem noſtram, tum quia elegantiorem, tum quia ad receptam ſyntaxim magis accommodatam. Haec porro et metrum ſervat. *Praeeſt* enim primam recte producit. Statius Theb. VI. v. 520. *Praemia, quum vacuus domino praeiret Arion.*

(1) *Continuaſſe.* Sic libri multi tum mss. tum editi. Alii et fortaſſe plures *continuiſſe.* Nos illud praetulimus. Quum melius ad ſententiam facere viſum fuerit. *Continuare*, ut Scholiaſtes apud Barthium ait, *eſt aliquem perpetuo et indefinenter colere atque amare.* Quo ſenſu verbum revera ſaepe uſurpatum fuiſſe latinis literis occidentibus idem Barthius obſervavit. Sic porro *continuare* Eccleſiam fuit *continuo in ea miniſtrare.* V. Du Change Gloſſ. med. et inf. latinit. Cannegieterus commentus fuerat *contemeraſſe*, ſed id nihil ad rem facit.

Et ſimul erectae circumdans tegmina caudae,
Sparſerat arcanum rurſus in aſtra iubar.
Illa licet nullo pennarum certet honore,
His tamen inſultans vocibus uſa datur:
Quamvis innumerus plumas variaverit ordo,
Merſus humi ſemper florida terga geris.
Aſt ego deformi (2) ſublimis in aera penna,
Proxima ſideribus numinibuſque feror.

14. FAB. XVI. num. 19.

QUERCUS ET ARUNDO.

Haud facile eſſe magnis obſiſtere, niſi paullatim cedendo (*).

Montibus e ſummis *radicitus eruta quercus,*
Decidit inſani turbine victa noti.
Quam tumidis ſubter decurrens alveus undis
Suſcipit, et fluvio praecipitante rapit.
Verum ubi diverſis impellitur ardua ripis,
In fragiles calamos grande reſedit onus.
Tum ſic (1) exiguo connectens ceſpite ramos,
Miratur liquidis quod ſtet arundo vadis.

Se-

(2) *Deformi*. Sic plerique libri. Alii nonnulli *deformis*. Iure Cannegieterus illam praetulit.

(*) Ex epimythio quod Aviano tribuitur:

Haec nos dicta monent magnis obſiſtere fruſtra,
Paullatimque truces exſuperare minas.

Hoc niſi genuinum plane eſt, certe elegantius eſt ceteris, et vetuſtius. Cannegietero teſte, omnes pariter libri ſcripti, editive receperunt.

(1) *Tum ſic*. Alii *Tunc ſic*. utrum-

Seque (2) tam vaſto nec dum conſiſtere trunco,
Aſt illam tenui cortice ferre minas.
Stridula mox blando reſpondens (3) canna ſuſurro,
Seque magis tutam debilitate docens (4):
Tu rabidos (5), inquit, ventos, ſaevaſque procellas
Deſpicis, et totis viribus acta ruis:
Aſt ego ſurgentes paullatim demoror auſtros (6),
Et quamvis levibus provida cedo notis.
In tua praeruptus offendit robora nimbus,
Motibus aura meis ludificata perit.

utrumque probatum eſt.

(2) *Seque*. Legendum eſt *ſe quoque*, quod metrum poſtulat, et libri omnes habent. Error facillime irrepſit, quum hae voces per notas paſſim ſcriberentur.

(3) *Reſpondens*. Multi ex libris editis *reſpondit*. Sed illud decem profecto Codices exhibent penes Canneg. Et revera quum deinceps *dixit* appareat, iſta videtur eſſe genuina lectio.

(4) *Docens*. Ex Editis multi *docet*, alii et praeſtantiores noſtrum habent.

(5) *Tu rabidos*. Alii *tu rapidos*. Utrumque auctoritate Codicum defendi poteſt, exemplis, et ratione. Attamen noſtrum iure a nonnullis praelatum eſt, non modo quia opportuniorem habet ſignificationem, ſed etiam quia procellae dicuntur *ſaevae*.

(6) Verſiculus ut hic ex Codice noſtro exhibetur, ita reliqui etiam libri habent ſive mss. ſive editi. Et iure quidem, nam ſententia, ſin minus rectiſſime, commode ſaltem exprimitur. Canna quercui dicit: Ego haud pertinaciter totiſque viribus ventis vehementibus reſiſto, ſed leviter potius, et blande eos demoror. *Paullatim* hoc loco non eſt *ſenſim*, ita ut quoſdam veluti creſcentis rei gradus ſignificet, ſed abſolute ſumitur, et eſt *parum, paullulum*. Canegieterus interea corruptum verſum autumat, et legendum eſſe contendit adverſa plane ſententia:

Haud ego ſurgentes paullatim demoror auſtros.

Sed quis non videt quam male haec ſuperioribus cohaereant? quid porro *paullatim* eſt in nova lectione? Si *haud paullatim*, ergo *vehementer*. Quo certe nil abſurdius.

15. FAB. XVIII. num. 119.

IUVENCI ET LEO.

Quantum poſſit concordia, et quantum diſcordia obſit.

Quatuor immenſis quondam per prata iuvencis
Fertur amicitiae tanta fuiſſe fides:
Ut ſimul emiſſos nullus divelleret error,
Rurſus et e paſtu turba rediret amans (1).
Hos quoque conſertis (2) *inter ſe cornibus ingens*
Dicitur in ſilvis pertimuiſſe leo.
Dum metus oblatam prohibet tentare rapinam,
Et coniuratos horret adire boves.
Sed (3) *quamvis audax, factiſque immanior eſſet* (4),
Tan-

(1) *Amans*. Hoc habent octo alii Codices apud Canneg. tum Editio noſtra vetus, Lugdunenſis, Genevenſis, Batava, et aliae nonnullae. In aliis vero libris tum mss. tum editis eſt *ovans*. Id quidem non male, ſed noſtrum, ni fallit, opinio, potius ad rem et ad ſententiam facit.

(2) *Conſertis*. Alii libri *collatis* vel *collectis*. Noſtrum praeſtare videtur, quum maiorem amicitiae nexum oſtendat. Cicero de Fato: *Omnia naturali colligatione* conſerta, contextaque *fiunt*.

(3) *Sed*, quod Editio vetus, recentiores, et Codices retinent. Cannegieterus repoſuit *Et* in edit. ſuâ.

(4) Hunc verſiculum ſic legit Cannegieterus:

Et quamvis animo, rictuque immanior eſſet.

Si auctoritatem, elegantiam, et proprietatem novae lectionis quaeris fruſtra fortaſſe laboras, ego nullam comperi, aliiſque inveniendam relinquo. Unum tantum ſatis videre arbitror, vulgatam non ferendam modo eſſe, ſed elegantem, et, ni fallor, ex potioribus, quas Avianus habeat. Leo quidem recte dicitur *audax*, qui in pericula praeceps ruit, et nihil eſt, quod non *audeat*, tum melius etiam *immanior factis* ob atrocia, ſaeva,

Tantorum (5) *ſolus viribus impar erat.*
Protinus adgreditur *pravis inſiſtere verbis,*
Colliſum (6) *cupiens diſſociare pecus.*
Sic (7) *poſtquam dictis animos diſiunxit acerbis,*
Invaſit miſerum diripuitque gregem.
Tum quidam (8) *ex illis: quidnam diſcordia poſſit* (9),
Quilibet (10) *ex noſtra diſcere morte poteſt.*
Nemo (11) *cito admotas verbis ſallacibus aures*
Impleat, aut veterem deſtruat (12) *ante fidem* (13).

va, et *immania* quae quotidie patrat. Sic Virgilio Aen. I. v. 351. Pigmalion dicitur *ſcelere immanior*.

(5) *Tantorum*. Multi libri editi *taurorum*, quod Pithoeo et Neveleto placuit: *Sed* tantorum *unice valet, idque comprobatur conſenſu mſſ. omnium, et praeterea ex oppoſita voce* ſolus. Haec rectiſſime Cannegieterus.

(6) *Colliſum*. Alii libri *collectum, collatum, connectum*. Noſtrum tamen vulgatius, et praeferendum ratus eſt Cannegieterus.

(7) *Sic*. Ex Editis alii *ſed* ex fide multorum Codicum, alii *et*, nulla vero auctoritate, quod ſciam. Noſtrum praeſtare dixerim. Nam praeter quam quod et duobus aliis mss. defenditur, potius profecto ad rem facit.

(8) *Tum quidam*. Id alii quatuor Codices apud Canneg. Alii *tunc quidam*.

(9) *Quidnam diſcordia poſſit*. Vulgata lectio eſt *vitam ſervare quittam*; et quamvis Cannegieterus hoc loco variantes lectiones non adduxerit, indicavit tamen multos Codices iſtam ipſam exhibere: Quod tanti apud me eſt, ut, ubi de Aviano agitur, nil in eam iudicare auderem. Veniam tamen peterem, ſi hic noſtram tenere mallem, ea etiam ratione, quod me lateat an alia MSS. habeant, et utrum revera Codices omnes in vulgatam conſentiant. Iſta enim ita frigida, inopportuna, et inſulſa eſt, ut mirari ſubigrit, quomodo Cannegieterus manus ad eam emendandam non admoviſſet. Quid porro hic *vita quieta*, vel quorſum? In noſtrâ autem lectione nil rei convenientius, fabellaeque congruentius inveniri poteſt: atque ex diſcordia revera ortum illud malum bubus illa *diſſociare*, *diſiungere* ſatis clare per ſe innuebant.

(10) *Quilibet*. Editi *qui cupit*.

(11) *Nemo*. Vulgo *neve*.

(12) *Deſtruat*. Libri editi *deſerat*, quod genuinum videtur.

(13) *At vero vetuſti Codices deo*

16. FAB. XXI. num. 21.

RUSTICUS ET AVIS.

Tunc recte fieri omnia quum per nos facimus.

Parvula progeniem terrae mandaverat ales,
Qua ſtabat viridi ceſpite flava ceres (1):
Ruſticus hanc fragili cupiens decerpere culmo,
Vicinam ſupplex forte petebat opem.
Sed (2) vox implumes turbavit credula nidos,
Suaſerat et laribus continuare (3) fugam.
Cautior hos remeans prohibet diſcedere mater;
Nam quid ab externis perficietur (4)? ait.
Ille

duo . . . ultimum hoc diſtichon omittunt, et, ut verum fatear, libenter id induxero, tametſi antiquius fortaſſe eſt, quam cetera epimythia inepta, quae paſſim delevimus, quae et cauſſa eſt cur plurimos Codices id occupárit. Haec Cannegieterus, et recte. Quamobrem noſtrum *nemo* genuinum videtur, et tunc in *neve* tranſiiſſe, quum Magiſtri Aviano diſtichon tribuerunt.

(1) *Ceres.* Vulgo *ſeges.* Illud autem et alius Codex habet apud Canneg. Tum Homerus ad eamdem ſententiam Iliad. E. v. 500. τε ξανθὴ δημητηρ ſcripſit. Ceterum utraque lectio recta eſt, et una in aliam non raro pertranſiit, quemadmodum obſervat Burmannus ad Ovid. Amor. I. El. 14. v. 12. de Art. I. v. 401. et Faſt. I. v. 687.

(2) *Sed.* Hoc libri omnes. Cannegieterus autem ait: *Legendum* haec vox. *Nil corruptius in toto libello, quam iſtiuſmodi particulae initio verſus poſitae.* Nos lectionem librorum tuebimur, quum recta ſit. Ruſticus enim *ea voce* aequam ſibi rem poſtulabat, *ſed* aviculis terrori erat et damno.

(3) *Continuare.* Sic plerique libri tum ſcripti, tum editi. Alii *continuaſſe.* Cannegieterus de more recepta peſſumdans, *accelerare*; nam ea vox haud argenteum latini ſermonis aevum ſapiebat, quo, ipſo auctore, Avianus, ſi Deo placet, floruit.

(4) *Perficietur*, quod Codices plures, librique editi habent.

Ille iterum caris operam mandavit amicis,
At genitrix rurſus tutior inde manet.
Sed poſtquam curvas dominum comprendere falces,
Frugibus et veram ſenſit adeſſe manum.
Nunc, ait, o miſeri, dilecta relinquite rura,
Quum ſpem de propriis viribus ille petit.

17. FAB. XXII. num. 117.

INVIDUS ET CUPIDUS,

Quanta ſit in hominum mentibus invidia.

Iupiter ambiguas hominum perdiſcere (1) *mentes*
Ad terras Phoebum miſit ab arce Poli.
Tunc duo diverſis poſcebant numina votis,
Namque alter cupidus, invidus *alter erat,*
His ſeſe medium Titan, ſcrutatus *utrumque,*
Obtulit, et precibus ut peteretur, ait.

Prae-

bent. Cannegieterus autem ex trium tantum MSS. fide repoſuit *proficietur*. At noſtrum potius. Nam praeter quam quod maiore auctoritate nititur, qua unâ maxime reſtituendus eſt Avianus, melius etiam facere ad rem videtur. Hic quidem agitur de opere *perficiendo*; neque *profectus* ruſtici, quin potius damnum avium intererat.

(1) *Perdiſcere*. Ita quidem et in Batavâ editione. Teſtatur tamen Cannegieterus ceteros libros et editos et mss. habere *praediſcere*. Ego ſane de fide Viri doctiſſimi atque integerrimi nullo pacto dubito, deſideraſſem vero tantum, ut retuliſſet, num *prae* per notam, an per literas expreſſum fuiſſet. Nam quum in veteribus libris huiuſmodi particulae correptae per notas inveniantur, et parum eae inter ſe diſtent, fieri potuiſſet, ut una in aliam facillime tranſiiſſet, vel pro aliâ capi potuiſſet. Id autem obſervandum eſt,

Praeſtandi facilis (2): *nam quae ſperaverit unus,*
Protinus haec alter congeminata feret.
Sed cui longa iecur nequeat ſatiare cupido,
Diſtulit admotas in nova damna preces.
Spem ſibi confidens alieno creſcere voto,
Seque ratus ſolum munera ferre duo.
Ille ubi captantem ſocium ſua praemia vidit,
Supplicium proprii corporis optat ovans.
Nam petit extinctus ut lumine degeret uno,
Alter ut hoc duplicans vivat utroque carens:
Tum ſortem ſapiens humanam riſit Apollo,
Invidiaeque malum retulit ipſe (3) *Iovi.*
Quae dum proventis aliorum gaudet iniquis,
Laetior infelix et ſua damna cupit.

eſt, quia melius ad rem eſt *perdiſcere*, quod ingenue idem eruditus Interpres fatebatur.

(2) *Praeſtandi facilis*. Hoc habent decem alia MSS apud Canneg. tum Editio Neveleti, Lugdunenſis, Genevenſis, Batava, et Vetus noſtra. Cannegieterus recepit in textum *praeſtabit facilis*, ſed qua auctoritate feciſſet non monuit. Quin ſententia unam illam lectionem ſuſcipit, ut animadvertenti patet. Syntaxis porro, quamvis graeca, recta eſt et latinis valde familiaris. Horatius lib. II. Satyr. 3. v. 3. *Vini ſomnique benignus*. v. 142. *Pauper argenti*. Lucanus. lib. VI. v. 301. *Felix ac libera legum*.

(3) *Ipſe*. Hoc plerique Codices et libri editi. Unus *inde*, unus *ille*. Cannegieterus *inde* praetulit. Ego ſemper pro maiore auctoritate ſtabo, ubi ratio potiſſima aliud non perſuaſerit. Hic *inde* melius facit, ſed *ipſe* congruit. Hoc ſatis eſt in Aviano.

18. FAB. XXIII. num. 116.

STATUARIUS.

Eos quibus permiſſa eſt rerum poteſtas poſſe et bene et male facere (*).

Venditor inſignem referens de marmore Bacchum,
Expoſitum pretio fecerat eſſe Deum.
Debilis (1) *hunc quidam funeſta in ſede ſepulchri*
Mercari cupiens compoſiturus (2) *erat.*
Alter adoratis ut ferret numina (3) *templis,*
Redderet et ſacro debita vota loco.
Nunc, ait, ambiguum facies de mercibus omen;
Dum ſpes (4) *in pretium munera dispar agit.*
Et me defunctis, ſeu malis tradere Divis,
Sive decus buſti, ſeu velis eſſe Deum.

Sub-

(*) Ex Epimythio quod Fabellae apponitur:

Convenit hoc illis, quibus eſt permiſſa poteſtas,
An prodeſſe aliis, vel nocuiſſe velint.

Hoc autem diſtichon habeatne Avianum auctorem an non, meum non eſt iudicare. Tenendum tamen eſt vetus eſſe, et valde receptum, quum Canegieterus ſatis clare indicet ab omnibus editis ſcriptiſque libris retineri. Quin Chriſtophorus Cellarius, et Olaus Borrichius protulere multa ad eius genuinitatem probandam.

(1) *Debilis*. Alii libri quos vidi *nobilis*, quod genuinum puto.

(2) *Compoſiturus*. Haec lectio receptior eſt tum editorum, tum mss. librorum. Ex his vero unus et alter *diſpoſiturus* vel *expoſiturus* praeferet Noſtrum et ſententiâ praeſtat.

(3) *Numina*. Hoc exhibent decem alii Codices penes Canneg. Tum editio Lugduu. Gerſev. Batava, et vetus noſtra. Alii legunt *munera*. Parum intereſt.

(4) *Dum ſpes*. Alii *quum ſpes*. Perinde fere eſt.

Subdita namque tibi eſt magni reverentia fati (5),
Atque eadem retines funera noſtra manu.

19. FAB. XXIV. num. 77.

VENATOR ET LEO.

Induſtriane hominis praeſtet Leonis viribus; an e contrario.

Certamen longa protractum lite gerebant
Venator quondam, nobilis atque Leo.
Hi quum perpetuum cuperent in iurgia finem;
Edita continuo forte ſepulchra vident.
Illic docta manus flectentem colla Leonem
Fecerat in gremio procubuiſſe viri.
Scilicet affirmans picturâ teſte ſuperbum
Se fieri, extinctam nam docet eſſe feram.
Ille graves oculos ad inania ſigna retorquens;
Infremit, et rabido (1) *pectore verba refert* (2):
Irri-

(5) Totus verſiculus ita quoque exhibetur in vetere noſtra Editione, atque in aliis porro. Cannegieterus autem in textum recepit:

Subdita nequitiae eſt magni reverentia facti.

Neque auctoritatem ullam prodidit. At quis non videt noſtra lectio quantum praeſtet? Quin una genuina videtur et vera. Nam non moramur aliam, quam idem Clariſſimus Interpres procudit, quum ad Avianum non ſpectet. Hunc verſiculum et alios quinque comites ita invertit et immutavit, ut ſuos plane fecerit.

(1) *Rabido.* Alii *rapido*. Sententia et auctoritas pro noſtro ſtant.

(2) *Refert*. Editi quos vidi *dedit*. *To infremit* noſtrum potius poſtularet, ſed quum me lateat lectio ceterorum Codicum, quia hic Cannegieterus tacet, ideo nil temere iudico.

Irrita te generis ſubiit fiducia veſtri (3),
Artificis teſtem ſi cupis eſſe manum.
Quod ſi noſtra novum caperet ſolertia ſenſum,
Sculperet et docili pollice ſaxa Leo.
Tunc hominem adſpiceres oppreſſum murmure magno (4),
Conderet ut rabidis ultima fata genis.

20. FAB. XXV. num. 114.

PUER ET FUR.

Incerta ſpe perdere ſaepe homines quae certa habent; et provectos aetate aliquando a pueris decipi.

Flens puer extremam putei conſedit in undam (1),
Vana ſupervacuis *rictibus ora trahens.*
Callidus hunc lacrimis poſtquam fur vidit abortis (2),
Quaenam triſtitiae ſit modo cauſſa rogat.
Ille

(3) *Veſtri*. Id ſex Codices apud Canneg. tum Editio Lugdun. Genev. et Batava. Aliis *noſtri*. Niſi fallor et ſententia plane illud probat.

(4) *Magno*. Cannegieterus auctoritate unius MS. legere maluit *ſolo*. Noſtrum autem et reliqui Codices, et libri editi omnes ſervant.

(1) *In undam*. Apud Canneg. ſeptem Codices *ad undam*, octo *in unda*, alii *ad oram*, vetus editio *in ora*. Sed iam Burmannus obſervaverat *ora* et *unda* in MSS. invicem permutari. V. ad Valer. Flaccum I. v. 20. et ad Ovidium de Ponto IV. Epiſt. 7. v. 21. Probatior lectio videretur *ad undam*, quae revera in pleriſque libris vulgata eſt.

(2) *Abortis*. Sic duo alii Codices, et duae veteres Editiones, unde Canneg. ex ingenio ſuo effingebat *adortus*. Ego mendum potius irrepſiſſe putarem in verbo, et legendum

Ille ſibi abrupti fingens diſcrimina funis,
Atque auri queritur deſiluiſſe cadum.
Nec mora, ſollicitam traxit manus improba mentem (3),
Exutus putei protinus ima petit.
Parvulus exiguo circumdans pallia collo,
Sentibus immerſus delituiſſe datur.
Sed poſt fallaci ſuſcepta pericula voto,
Triſtior amiſſa veſte reſedit humi.
Dicitur his ſolers vocem rupiſſe querelis,
Et gemitu ſummos ſollicitaſſe Deos:
Perdita, quisquis erit, poſthac bene (4) *pallia credat,*
Qui putat in liquidis quod natet (5) *urna vadis.*

dum *obortis*, quae revera longe receptior lectio eſt, et magis ad ſententiam accommodata.

(2) *Mentem*. Id alii quatuor Codices, nec non editio Pulmanni, Neveleti, et vetus noſtra. Aliae *veſtem* exhibent. Sed quid eſt *veſtis* ſollicita? vel quomodo *manus improba mentem trahit*? Locus difficilis. Cannegieterus de more ſic ſe expedit: *Corrigo*, ait:

Nec mora, ſollicitum traxit
mens improba, veſtem
Exuit, et etc.

Atqui haec revera facillima emendandi via eſt. Sed ſi Avianus mediocris Fabulator eſt, et cui multa condonanda ſunt, cur lectionem noſtram non tenebimus? Etenim *manus improba* hic fuiſſe videtur ipſa furis rapacitas, furandi libido, mos et conſuetudo facinoris. Similia plane et nos modo familiari ſermone proferimus. Quin vero ad ipſam omnino ſententiam Phaedrus lib. I. fab. I. v. 3. ſcripſit:

. . . tunc fauce improba
Latro incitatus.

Si id recipitur tota lectio belle procedet.

(4) *Bene*. Sic plerique libri ſcripti et editi. Alii, ſed pauci, *ſibi*.

(5) *Natet*. Alii *natat*. Noſtrum potius.

21. FAB. XXVI. num. 113.

LEO ET CAPELLA.

Non esse improbi hominis consilio credendum.

Viderat excelsa pascentem rupe capellam,
Comminus esuriens quum Leo ferret iter.
Et prius (1), heus, inquit, praeruptis ardua saxis
Linque, nec hirsutis pascua quaere iugis.
Sed Cytisi croceum per prata virentia florem,
Et glaucas salices, et thyma grata pete.
Illa gemens, desiste, precor, fallaciter, inquit,
Securam placidis insimulare (2) dolis.
Vera licet moneas, et magna (3) pericula tollas,
Tu tamen his dictis non facis esse fidem (4).
Nam

(1) *Et prius*. Alii *et prior*, quod genuinum videtur.

(2) *Insimulare*. Ita Codices et Editiones pleraeque. Alii *insinuare*, vel *insidiari*. Nostrum praestat. Cannegieterus legit *sollicitare*, sed non moramur lectionem, quae nulla auctoritate nititur.

(3) *Et magna*. Vulgo *maiora*. Cannegieterus tamen nostrum praetulit haec scribens: *Ita edo auctoritate editionum Batavarum, quam lectionem suspicor ex antiquis libris hausiam. Certe ea mihi unice probatur.*

(4) Totum hoc distichon sic interpungit et legit Cannegieterus:

Vera licet moneas, et magna pericula: Tollas
Tu tamen. His dictis non facis iste fidem.

At contenderem quod ne perpetuo quidem commentario effeciisset Cannegieterus, ut haec ad sententiam, et syntaxim probabilem adducerentur. Sed alii id viderint. Lectio certe nostra et rectam habet et commodam: Huiusmodi est: Quamvis tu leo vera moneas, et prata mihi, camposque planos ostendendo pericula, quibus modo obnoxia sum, tollas; attamen his verbis tuis non efficis, ut habeam tibi fidem, quum sciam qui sis, et quam belle

Nam quamvis rectis conſtet ſententia verbis,
Suſpectam hanc gravidus (5) conſiliator habet.

22. FAB. XXVII. num. 112.

CORNIX ET URNA.

Quantum prudentia viribus praeſtet.

Ingentem ſitiens cornix adſpexerat urnam,
Quae minimam fundo continuiſſet (1) aquam.
Hanc enixa (2) diu planis effundere campis,
Scilicet ut nimiam pelleret inde ſitim.
Poſtquam nulla viam virtus dedit, admovet omnes
Indignata nova calliditate iocos.
Nam brevis immerſis accreſcens ſponte lapillis,
Potandi facilem praebuit unda viam.
Viribus haec docuit quam ſit *prudentia maior,*
Quae (3) coeptum volucris explicuiſſet *opus.*

25. FAB.

belle iſthic me exciperes, ſi venirem.

(5) *Gravidus*. Legendum videtur *rabidus*, ut non pauci libri ſcripti editive exhibent. Inrerea quis credat? Noſtrum illud bene quindecim MSS. habent penes Cannegieterum.

(1) *Continuiſſet*, quae plurimorum plane Codicum lectio eſt. Nonnulli alii *continuaſſet*, ineptâ quidem, ni mavis abſurdâ ſententiâ. Quamobrem iure miratur Cannegieterus quomodo Pulmannus et Neveletus recipere id potuiſſent.

(2) *Enixa*. Alii *emiſa*. Utrumque probatum, et parum refert utrum hoc an illud praeferatur. Ceterum et hîc auctoritas librorum pro noſtra lectione eſt.

(3) *Quae*. Sic quatuor Codices, Canneg. teſte, et multae Editiones. Alii *qua*. Verum eſt hac varia lectione eamdem non eſſe verſiculi ſententiam. Attamen ea ſit, ut in utraque ad rem rectiſſime faciat.

23. FAB. XXIX. num. 106.

SATYRUS ET VIATOR.

Quae non ſine ratione fiunt ab his qui non intelligunt horrori haberi.

Humida (1) *congeſtis quum ſtaret* bruma *pruinis,*
Cunctaque durato (2) *ſtringeret arva gelu.*
Haeſit in adverſâ nimborum mole viator,
Perdita nam prohibet ſemita *ferre gradum.*
Hunc nemorum cuſtos fertur miſeratus in antro
Exceptum Satyrus continuiſſe ſuo.
Quem ſimul adſpiciens ruris nuratur alumnus,
Vimque homini tantam protinus eſſe pavet.
Nam gelidos artus vitae ut revocaret in uſum,
Afflatas calido ſolverat ore manus.
Sed quum depulſo coepiſſet frigore laetus
Hoſpitis eximiâ ſedulitate frui:
Namque illi (3) *agreſtem cupiens oſtendere vitam,*
Silvarum referens optima quaeque dabat.
Obtulit et calido plenum cratera Lyaeo,
Laxet ut infuſus frigida membra tepor.

(1) *Humida*. Vulgo *horrida*, quod genuinum videtur.

(2) *Cunctaque*. Hoc plerique libri fere omnes ſcripti et editi. Unus Codex *vinctaque*. Cannegieterus autem hoc praetulit. Sed, pace ſua, iniuriâ. Nam praeter quam quod illud auctoritate longe maiori nititur, ſatius quoque ad rem facit. Quid hic *vincta*, praeſertim ubi ſunt *durato*, et *ſtringeret*?

(3) *Illi*. Iſta eſt librorum fere omnium lectio. Unus et manuſcriptus *ille*, vulgatum praeferendum videtur, etiam quum paullo poſt ſit *ille*.

Ille ubi ferventem labris contingere teſtam
Horruit, algenti rurſus ab ore ſufflat (4).
Obſtupuit duplici monſtro perterritus hoſpes,
Et pulſum ſilvis longius ire iubet.
Nolo, *ait*, ut noſtris umquam ſucceſſerit antris;
Tam diverſa duo (5) *qui ſimul ore ferat.*

24. FAB. XXX. num. 105.

VILLICUS ET DOMINUS.

Urbano dicto Principum iram comprimi; et contra eos qui ſaepe in peccato deprehenſi non abſtinent (*).

Vaſtantem ſegetes, et pinguia culta petentem (1)
Liquerat abſciſsa ruſticus aure ſuem.

Ut

(4) *Suffiat*. Sic nonnulli alii Codices, et Editio noſtra vetus. Ceteri libri fere omnes Canneg. teſte *ſufflat*, uno alterove excepto qui habent *tulit*, quod Neveletus, et ipſe Cannegieterus arripuerunt. Sed quid ſibi velit hic huiuſmodi *tulit* non video. Atqui ſententia *ſufflat* poſtulat. Obſtat metrum. Ego putarem ſatis commode in Aviano ferri poſſe illud tam receptum *ſuflat*. Hoc enim verbum eſt a *ſub* et *flat*. *Sub* corripitur, ergo *ſu* brevis eſt. *Flat* autem mutata literam, habet et liquidam, ideoque vocalis, quae praecedit fieri poteſt anceps, ut in *repleo*, *locuples*, et *ſuflat* haberi ut iambus hoc loco.

(5) *Diverſa duo*. Recte. Nam ea ſunt calor et frigus. Interea ex ſua ſententia Cannegiet. legit *diverſa unus*.

(*) Altera pars argumenti deſumta videtur ex Epimythio, quod comitari ſolet fabellam: huiuſmodi eſt:

Haec illos praecepta monent, qui ſaepius auſi,
Numquam peccatis abſtinuere manus.

Quidquid de eo ſit, recens admodum non eſſe multa perſuadent, potiſſimum tamen mss. concordia in eo adgnoſcendo. Haec poſtrema Cannegieterus.

(1) *Petentem*. Vulgo *ruentem*, quod fortaſſe genuinum eſt.

Ut memor accepti referens monumenta doloris,
Ulterius teneris parceret ille ſatis.
Rurſus in excepti deprehenſus (2) crimine campi,
Perdidit indultae perfidus auris onus.
Nec mora praedictae ſegeti caput intulit horrens,
Poena ſed indignum quod geminata (3) facit:
Tum domini captum menſis dedit ille ſuperbis,
In varias epulas plurima fruſta ſecans.
Sed quum conſumti dominus cor quaereret apri;
Impatiens fertur quod (4) rapuiſſe coquus.
Ruſticus hoc iuſtam verbo compeſcuit iram,
Affirmans ſtultum non habuiſſe ſuem.
Nam cur membrorum demens (5) in damna rediſſet,
Atque uno totiens poſſet ab hoſte capi.

(2) *Deprehenſus*. Alii *deprenſus*. Perinde eſt. Nam per crasin illud et triſyllabum effertur, ut alibi etiam diximus.

(3) *Quod geminata*. Id quatuor alii Codices apud Canneg. et Editiones Lugdun. Genev. et Batava. Alii vero libri ſcripti et editi *congeminata*, quod tenendum videtur.

(4) *Quod*. Sic plerique libri. Alii *cor*. Noſtrum potius, ni fallor.

(5) *Demens*. Alii libri habent *totiens*, quod huc translatum fuit ex altero verſiculo, in quem contra *demens* intruſum eſt. Lectionem autem noſtram veram eſſe, non numerus modo et praeſtantia plurimorum aliorum Codicum, qui eam retinent, ſed ipſa quoque ſententia probat.

25. FAB. XXXI. num. 100.

MUS ET BOS.

Etiam parvos aliquando magnis obeſſe.

Ingentem fertur mus quondam parvus oberrans,
Auſus ab exiguo laedere dente bovem.
Verum ubi mordaci confecit vulnera roſtro,
Tutus in amfractus conditur inde ſuos.
Ille licet vaſta torvum cervice minetur,
Non tamen iratus quem petat (1) eſſe videt.
Tunc indignantem iuſto ſermone (2) fatigans,
Diſtulit hoſtiles calliditate minas.
Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes,
Viribus effectum conſtituere tuis.
Diſce tamen brevibus quae ſit fiducia monſtris (3)
Et faciat (4) quidquid parvula turba cupit.

(1) *Petat*. Alii *petit*, ſed librorum auctoritas et rectior ſyntaxis pro illo ſunt.

(2) *Iuſto ſermone*. Ita plerique libri mss. et editi. Nonnulli Codices *vaſto ſermone*. Quaedam Editiones *tali ſermone*, quod Neveletus probabat. Cannegieterus ex opinione ſua *mus hoc ſermone*. Sed lectio noſtra recta eſt. Nam *iuſtus ſermo* non eſt hic, qui ex iuſtitia et iure proficiſcitur, ſed qui opportunus eſt, convenit, proprius eſt rei de qua agitur. Exempla et apud Lexicographos obvia ſunt. Ita ſcilicet mus iuſto hoc et congruenti ſermone retundit bovis ſuperbiam.

(3) *Monſtris*. Lectio receptiſſima. Neveletus maluiſſet *membris*. Cannegieterus hac vice pluribus in Diſſert. Lectionem illam librorum defendit.

26. FAB. XXXII. num. 32.

RUSTICUS ET HERCULES.

Fruſtra fieri vota niſi te adiuves.

Haerentem luteo ſub gurgite ruſticus axem
Liquerat, et nexos (1) *ad iuga tetra* (2) *boves.*
Fruſtraque (3) *diſpoſitis* (4) *confidens numina votis*
Ferre ſuis rebus, quum reſideret, opem.
Cui rector ſummis Tirynthius inſit ab aſtris;
Nam vocat hunc ſupplex in ſua vota Deum:
Perge laborantes ſtimulis agitare iuvencos,
Et manibus pigras diſce iuvare rotas.

(1) *Et nexos.* *Sic ſcripti omnes*, ut Canneg. air. Editiones autem diſcrepant: Alia enim habet *et nexas*, alia *ad nexas*, alia *adnexas*, alia tandem *annexas*. Dubitari nequit quin noſtrum genuinum ſit.

(2) *Iuga tetra.* Plerique libri et ſcripti et editi, Canneg. teſte, habent *iuga tarda*. Editiones Lugdunenſ. Genev. et Batava *iuga curva*. Quidquid de his ſit noſtrum reiici nequit; Nam *iugum tetrum* recte dici poſſe arbitrarer ob laborem et moleſtiam. Quin hic epitheton gravius ad rem facere videretur, quum, cutru ſeu plauſtro in luto demerſo, boum vita in diſcrimen adducta fuiſſet. Ceterum, quum de Aviano loquimur, ſatius eſt, ſi pro maiore auctoritate ſtemus.

(3) *Fruſtraque.* Hoc retinent libri editi plerique, et alii novem Codices penes Cannegieterum. Is vero, et Neveletus ediderunt *fruſtra*, rati in hac voce ſecundam ſyllabam omnino produci. At exploratum videtur et Iuvenalem Satyr. III. v. 210. et Rufum Feſtum Avienum Prognoſt. v. 194. corripuiſſe. Sed eſto, nemo ullus fecerit. Itane Avianus hic ſumere id ſibi non potuit?

(4) *Diſpoſitis.* Id exhibuerunt Cannegietero alia quinque MSS. ideoque in textum recepit. Vulgo legitur *depoſitis*.

Tunc quoque congreſſum, maioraque viribus auſum (5),
Fas Superos animis conciliare tuis.
Diſce tamen pigris non flecti numina votis,
Praeſenteſque adhibe, quum facis ipſe, Deos.

27. FAB. XXXIII. num. 34.

ANSER ET RUSTICUS.

De Avaris.

Anſer erat cuidam pretioſo germine foeta;
Ovaque quae nidis aurea ſaepe daret.
Fixerat (1) *hanc volucri legem Natura ſuperbae,*
Ne liceat pariter munera ferre duo.
Sed dominus cupidum veritus (2) *vaneſcere votum,*
Non tulit exoſas in ſua lucra moras.
Grande ratus pretium volucris de morte referre,
Quae (3) *cum* (4) *continuo munere dives erat.*
Poſtquam nuda minax egit per viſcera ferrum,
Et vacuam ſolitis foetibus eſſe videt.

In-

(5) Hunc verſiculum ita etiam retinent novem alii Codices apud Canneg. tum editio Lugdunenſ. Genev. et Batava. Alii habent:

Tunc quoque congreſſus, maioraque viribus auſus.

Sed Neveletus et ipſe Cannegieterus lectionem illam omnino praeferendam ſunt rati.

(1) *Fixerat*. Alii *finxerat*, *fecerat*, *dixerat*. Noſtrum praeſtat tum auctoritate, tum ſententiâ. Habet eam vetus quoque Editio noſtra, et Cannegieterus pluribus etiam tuetur.

(2) *Veritus*. Alii *ſperans* vel *cupiens*. Noſtrum certe ex receptioris verbi proprietate retinendum videretur.

(3) *Quae*. Ita non pauci libri ſcripti et editi. Alii *qui*. Ex utrâque lectione commoda exſurgit ſententia.

(4) *Cum*. Vulgo *tum*.

Ingemuit tantae deceptus crimine fraudis;
Nam poenam meritis retulit inde ſuis.

28. FAB. XXXIV. num. 94.

FORMICA ET CICADA.

Laborandum eſſe dum aetas florida eſt, ne adveniente ſenectute, fruſtra aliorum auxilium imploremus (*).

Solibus ereptos (1) hiemi formica labores
Diſtulit, et brevibus condidit inde (2) cavis.
Verum ubi candentes ſuſcepit terra pruinas,
Arvaque ſub rigido (3) delituere gelu;
Pigra nimis tantos non aequans corpore nimbos,
In propriis laribus humida grana legit.

(*) Hoc argumentum deſumtum eſt ex promythio vulgato:

Quisquis torpentem paſſus tranſire iuventam,
Nec timuit vitae providus ante ſuae.
Confectus ſenio poſtquam gravis adfuit aetas;
Heu fruſtra alterius ſaepe rogabit opem.

Horum autem verſiculorum auctor, niſi eſt ipſemet Avianus, antiquior certe eſt illis, qui alia huiuſmodi fabulatori obtruderunt. Codices quidem in eis adgnoſcendis conſentiunt, et loquutio ſatis terſa eſt et elegans. Ipſe Cannegieterus, qui ſententias fabellarum fere omnium quam longe Aviano abiudicabat, ab huiuſmodi opinione non diſcrepat.

(1) *Ereptos*. Id Barthius in Codice ſuo, Neveletus in tribus, Cannegieterus in duodecim aliis repperit. Aliqui ex Editis *obreptos*.

(2) *Inde*. Alii *ante*. Neſcio quidem, quae ſit ceterorum Codicum lectio, ſed noſtra certe ſat commodam ſententiam praeſefert.

(3) *Rigido*. Hoc retinent novem MSS. apud Canneg. et multae editiones. Alii *gelido*, quod vere frigidum et inficetum eſt.

Decolor (4) *hanc precibus ſupplex alimenta rogabat,*
Quae quondam querulo ruperat arva ſono.
Se quoque, maturas quum tunderet area meſſes,
Cantibus aeſtivos explicuiſſe dies.
Parvula tunc ridens ſic eſt affata cicadam,
Nam vitam pariter continuare ſolent.
Mî quoniam (5) *ſummo ſubſtantia parta labore eſt,*
Frigoribus mediis ocia longa traho.
At tibi ſaltandi (6) *nunc ultima tempora reſtant,*
Cantibus eſt quoniam vita peracta prior.

(4) *Decolor*, quod novem alii Codices habent, Cannegieterο teſte, et multae inſuper editiones. In aliis eſt *diſcolor*. Attamen ratione etiam et argumento eam eſſe genuinam lectionem pluribus oſtendit idem Cannegieterus.

(5) *Mî quoniam*. Cannegieterus recepit in textum *en quoniam* et adnotavit: *Vocula* en *eruta ex duobus mss. longe mihi pulchrior viſa eſt hoc loco, quam* mî, *quod ceteri fere omnes habent ſcripti et editi*. Sed, docti viri pace, ſi vocula *en* probatur, alia plane verborum ſyntaxis in toto diſtichο inducenda eſſet, quod nullus fecerit. Quid porro eſt quod in vulgata lectione doleat? *Mibi* argute opponitur *tibi*, quod ſtatim ſubſequitur. Ego non dubito, quin genuina ſit.

(6) *Saltandi*. Lectio vulgatiſſima. Unus liber aut alter *ſaltanti*. Illud probatum.

29. FAB. XXXV. num. 56.

SIMIA ET NATI.

Qui minus cari ſunt, interdum mutata ſorte cariores effici.

Fama eſt quod geminum profundens ſimia partum (1),
Dividat (2) in varias pignora nata (3) vices.
Namque unum caro genitrix educat (4) amore,
Alterius (5) odiis exſaturata tumet.
Coeperit ut ſoetam gravior terrere tumultus,
Diſſimili natos conditione rapit.
Dilectum manibus, vel pectore geſtat amico,
Contemtum dorſo ſuſpiciente levat.

Sed

(1) *Partum*, quam *ſcripturam*, Cannegieteri ſunt verba, *tuentur ſcripti et editi omnes*. Interea ipſe Interpres, auctoritate ſua, *natum* obtruſit in Textum.

(2) *Dividat*. Ita ſeptem Codices apud Canneg. ita Pulmannus edidit, et alii porro. Reliqui libri *dividit*. Latina ſyntaxis noſtrum potius poſtulat.

(3) *Nata*. Id vetus Editio noſtra ſervat, et reliquae fere omnes. In aliis eſt *bina* vel *cara*, utrumque vero tenui auctoritate ſuffultum. Noſtrum rectius. Marmor apud Gruterum pag. 807. *cum pignoribus de ea natis*.

(4) *Educat*. Valde diſcrepant Libri in hac lectione. Alii habent *educit*, alii *eduxit*, alii *aduxit*, *educet*, *produxit*, *dilexit*. Ideo mirum non eſt, ſi noſter *educat*, quod certe egregie, ſin minus metrum, ſententiam tamen ſervat. Lectio autem vel receptior vel veriſimilior eſt *educit*.

(5) *Alterius*. Aliqui ex Codicibus et libris editis *alteriuſque*. Longe plures tamen illud ſervant, et rectius quidem. Poſtrema ſyllaba in Aviano longa caeſurâ fit.

Sed quum laſſatis nequeat conſiſtere plantis;
Oppoſitum fugiens ſponte remittit (6) *onus.*
Alter ab hirſuto (7) *circumdans brachia collo*
Haeret, et invita cum genitrice fugit.
Mox quoque dilecti ſuccedit in oſcula *fratris;*
Servatus vetulis unicus heres avis.
Sic multos neglecta iuvant, atque ordine verſo;
Spes humiles rurſus in meliora *refert* (8).

30. FAB. XXXVI. num. 10.

VITULUS ET BOS.

Longe praeſtare laborioſam vitam ſine periculo agere, quam molliter in otio mori.

Pulcher et intacta vitulus cervice reſultans,
Scindentem aſſidue viderat arva bovem.
Non pudet, heus! inquit, longaevo vincula collo
Ferre, nec expoſtis (1) *otia noſſe iugis.*
Quum mihi ſubiectas pateat diſcurſus in herbas;
Et nemorum liceat rurſus (2) *opaca ſequi.*

At

(6) *Remittit*. Hoc rectum. Alii libri habent *remiſit* vel *relinquit*, at minima etiam auctoritate.

(7) *Alter ab hirſuto*. Aliqui edidere *Hirſutis alter*, vel *innectens alter*, vel *alter at hirſuto*. Sed Codicum auctoritas pro noſtra lectione eſt, ea que revera ex Auctoris ſtilo, V. fab. 31. v. 2.

(8) *In meliora refert*. Alius codex apud Canneg. *in meliora cupit*. Editiones vero Lugdun. Genev. et Batava *ad meliora refert*. Ceteri libri noſtrum tuentur.

(1) *Expoſtis*. Alii *Expoſitis*. Perinde eſt.

(2) *Rurſus*. Duo Codices apud Canneg. *furſus*. Noſtrum rectum, et longe receptius.

At ſenior nullam verbis compulſus in iram,
Vertebat ſolidam (3) *vomere feſſus humum.*
Donec depoſito per prata liceret aratro,
Molliter herboſo procubuiſſe toro.
Mox vitulum ſacris connexum (4) *reſpicit aris,*
Indignam diro vulnere ferre necem (5).
Hanc tibi triſtis, ait, dedit indulgentia mortem,
Expertem noſtri quae facit eſſe iugi.
Proderit ergo graves quamvis perferre labores,
Otia quam tenerum (6) *mox peritura pati.*

(3) *Solidam*. Sic et alia tria MSS. Canneg. teſte. Alii *ſolitam*.

(4) *Connexum*. Aliis *innexum* eſt.

(5) Totus hic verſiculus longe aliter legitur in libris tum ſcriptis, tum editis. Vulgatior autem lectio huiuſmodi eſt:

Admotum cultro comminus ire prope.

Equidem non inficior multa eſſe in Aviano, quae ferenda potius ſunt et ignoſcenda, quam ſevere ad trutinam expendenda: Attamen haec dura profecto videntur. Docti viri ut aliquo pacto faſtidio occurrerent repoſuerunt *popae*, melius quidem; ſed tota rei difficultas ablata non eſt, neque porro factum id eſt ex fide membranarum. Cannegieterus de more medicinam violentam fecit ſcribens:

Admotum, et cultro colla ferire popam.

Nonne vero lectio noſtra longe praeſtat? Ita quidem. Sententia verior et perſpicuior, ſyntaxis elegantior. At vulgatam multa codicum fides tuetur. Id verum eſt. Putarem tamen de noſtrâ cogitandum eſſe.

(6) *Quam tenerum*. Alii libri *qui tenerum*, *quam tenes*, *quam primo*. Inepte. *Tener* hic ad aetatem refertur. Svetonius in Neron. c. 7. *Tener adhuc, necdum maturâ pueritiâ*.

31. FAB. XXXVII. num. 36.

CANIS ET LEO.

Paupertatem cum libertate praeſtare ſummis divitiis.

Pinguior exhauſto Canis occurriſſe Leoni
Fertur, et inſertis verba dediſſe iocis.
Nonne vides duplici tenduntur (1) *ut ilia tergo;*
Luxurietque toris nobile pectus, ait?
Proximus humanis ducor poſt otia menſis,
Communem capiens largius ore cibum.
Aſt mihi craſſa malum (2) *circumdat guttura ferrum,*
Ne cuſtodita fas ſit abire domo.

At

(1) *Tenduntur*. Alii *tendantur*, quod ad receptam ſyntaxin melius facit: ſed noſtrum praeſtare dicerem: rem enim magis praeſentem facit, et veluti oculis ſubiicit. Habet inſuper et alius Codex apud Cannegieterum.

(2) *Aſt mihi craſſa malum*. Quae ad hunc locum lectio fuerit ceterorum Codicum neſcio, quum Cannegieterus nil perſpicue monuerit. Noſtra autem vetus Editio habet *ſed quid graſſa malum*. Batava *nec quod craſſa nocet*. Aliae *ſed quod craſſa malum*. Cannegieteri lectionem non moror. Nam is quum conaretur illum fabulatorem ſuum elegantem, et Phaedro proximum reſtituere, atque *ab indignis*, ut hic ait, *ineptiſſimorum hominum interpolationibus, ac infandis flagitiis vindicare*, ita verſiculum hunc et plures alios proximos invertit, confudit, et immutavit ut ſuos plane fecerit. Nos ad librorum veterum fidem ſtamus. Hoc autem loco noſtrum praeſtare videtur. Sententia huiuſmodi eſt: Canis praevenit obiecta, quae Leo in eum ingerere poterat, et ait: verum eſt quod malum ferrum gutturi meo obducitur, at id non ad contumeliam aut damnum fit, verum tantummodo ne abeam domo quam cuſtodio, et qua tot bonis fruor. Canis quidem catenam ſuam quoddam velut beneficium iactat v. 11.

At tu magna diu moribundus luſtra pererras,
Donec te (3) *ſilvis obvia praeda ferat.*
Perge igitur noſtris tua ſubdere colla catenis,
Ut (4) *liceat faciles promeruiſſe dapes.*
Protinus ille gravem gemitu collectus in iram,
Atque ferox animi nobile murmur agit.
Vade, ait, et meritis nodum cervicibus infer,
Compeſcantque tuam vincula dira (5) *famem,*
At mea cum vacuis libertas redditur (6) *antris,*
Quamvis ieiunus, quaelibet arva peto.

32. FAB. XXXVIII. num. 92.

FISCIS FLUVIATILIS ET MARINUS.

Brevibus dictis retundi ſaepe aliquorum inſolentiam.

Dulcibus e ſtagnis (1) *fluvio torrente coactus,*
Aequoreas praeceps piſcis obibat (2) *aquas.*
Illic

(3) *Te*. Alii *ſe*, et rectius.
(4) *Ut*. Vulgo *dum*, quod vix ferri poteſt. Cannegieterus ex unius Codicis auctoritate repoſuit in textum *ſic*. Multo potius noſtrum videtur.
(5) *Dira*. Vulgo *dura*. Noſtrum opportuniorem habet vim, et ab alio quoque Codice apud Cannegiet. ſervatur.
(6) *Redditur*. Haec lectio plane vulgata et recepta eſt. Iure, nam ſententia recta eſt, et ea ſyntaxis a τω *peto* etiam innuitur. Interea Cannegieterus recepit in textum *reditor*.

(1) *Dulcibus e ſtagnis*. Alii *dulcibus in ſtagnis*, vel *dulcibus ſtagnis*. Noſtrum potius.
(2) *Obibat*. *Hoc malo*, ait Cannegieterus, *quod edidit Pithoeus, atque a libris vetuſtis addicitur*. Alii autem *adibat*, vel *abibat*. Sed ille recte noſtrum praetulit.

Illic ſquamigerum deſpectans improbus agmen,
Eximium ſeſe nobilitate refert.
Non tulit expulſum patrio ſub gurgite (3) focas (4),
Verbaque cum ſalibus aſperiora dedit.
Vana laboratis aufer mendacia dictis,
Quaeque refutari, te quoque teſte, queant (5).
Nam quis erit potior, populo ſpectante, probabo,
Si pariter captos humida lina trahant.
Tunc me nobilior magno mercabitur emtor (6),
Te ſimul aere brevi debile vulgus emet.

33. FAB. XXXIX. num. 54.

MILES ET LITUUS.

Non modo qui male agit, ſed etiam qui ſua-det, errare.

Voverat attritus quondam per praelia miles,
Omnia ſuppoſitis ignibus arma dare.

Vel

(3) *Sub gurgite*. Hoc novem Codices habent apud Canneg. Tum Editio noſtra vetus, Lugdun. Genev. et Batava. Alii *de gurgite*. Noſtrum certe potius. Nam alterum ambiguitatem parit.

(4) *Focas*. Tres Codices, Canneg. teſte, et Editio noſtra vetus habent *phocas*. Alii libri *phocicis*, *phocis*, *poſca*. Pluribus Cannegieterus legendum putat *phycus*, *vel phuca*, quod idem eſt, atque hac in re audiendus videtur vir eruditiſſimus.

(5) *Queant*. Id decem alii Codices. Alii *valent*. Noſtrum probavit Neveletus, et recte.

(6) *Emtor*, quod in Palatino Codice deprehendit Neveletus, et in pleriſque aliis Cannegieterus. Habet etiam Editio noſtra vetus. Alii libri *emtum*, *aere*, *auro*: At facile quiſque videt lectionem noſtram genuinam eſſe.

Vel quae victori moriens ſibi turba dediſſet,
Vel quidquid profugo poſſet ab hoſte capi.
Interea votis ſors adfuit, et memor arma
Coeperat accenſo ſingula ferre rogo.
Tunc lituus rauco defendens (1) *murmure culpam,*
Immeritum flammis ſe docet eſſe prius (2).
Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos,
Viribus affirmes quae tamen acta meis.
Sed tantum ventis et cantibus arma coegi,
Hoc quoque (3) *ſummiſſo teſtor et aſtra* (4) *ſono.*
Ille

(1) *Defendens*. Hoc verbum quum in Noſtro deficiſſet ex Editione vetere mutuati ſumus; illud potius rati, quam *deflectens* quod alii libri retinent. Cannegieterus *defendens* in textum repoſuit, et teſtatur trium Codicum auctoritate firmari.

(2) *Prius*. Sic libri plane omnes. Cannegieterus autem *pius*, hoc pacto putans verſiculum, quem *corruptum inſigniter* vocat, reſtitutum iri. Sed itane *piae* dicendae ſunt *flammae*, quibus arma cremantur, et id a lituo qui exuritur? Equidem fateor illud *prius* fatis inficetum eſſe; ſed in Aviano percommodum. Nam eſt loco τῦ *priuſquam*, *antequam*: ſenſus verſiculi eſt: Lituus oſtendit ſe eſſe indignum illis flammis antequam in eas inferretur. Et re quidem vera non omnia miles unâ in rogum congeſſerat, ſed ſingillatim inferebat. Et lituus quidem poſt totam ſuam, ut ita dicam, orationem infertur.

(3) *Hoc quoque*. Alii *haec quoque*, *Ita*, Cannegieterus air, *ediderunt Nevsletus*, *Lugdunenſis*, *Genevenſis*, *et Batavus refragantibus Codicum omnium excerptis*, *quae habeo*, *atque antiquioribus editionibus in quibus* hoc *eſt*. Recte igitur retinebimus *hoc*, quod ad τὸ *ſono* refertur, vel ad id quod affirmaverat.

(4) *Et aſtra*. Sic plerumque vulgatum eſt dubio procul ex membranarum fide. Unus autem Codex apud Cannegiet., et Editio noſtra vetus *ad aſtra*. Duo alia MSS. *ad arma* quod idem Cannegieterus probavit. Sed noſtrum praeſtat tum auctoritate, tum commoditate ſententiae. Ea huiusmodi eſt: Ego quidem etiam hoc rauco et ſubmiſſo ſono teſtor aſtra, aeternos nempe Coeli ignes, et non violabile ſiderum numen (V. Virgilius Aen. II. v. 154.) me

num-

Ille reſultantem (5) *flammis crepitantibus addens,*
Nunc (6) *te maior, ait, poena dolorque rapit.*
Nam licet ipſe nihil poſſis (7) *tentare, nec* auſus,
Saevior es (8), *alios quod facis eſſe malos.*

34. FAB. XL. num. 90.

VULPES ET PARDUS.

Eos magis admirandos, qui ingenio valent, quam qui viribus aut pulchritudine corporis (*).

Diſtinctus maculis, et pulchro corpore (1) *pardus,*
Inter conſimiles ibat mire (2) *feras.*

Sed

numquam niſi ſonum in bello edidiſſe..

(5) *Reſultantem*. Alii *reluctantem*, *inſultantem*, *reſiſtentem*. At auctoritas pro lectione noſtrâ tota fere eſt.

(6) *Nunc*. Sic multi libri ſcripti et editi. Cannegieterus autem ex fide trium tantum MSS. repoſuit in textum *nec*. Sententia ni fallor illud omnino poſtulat.

(7) *Poſſis*. Ita libri plerique. Alii *poſſes*, *poſſet*, *poſſe*.

(8) *Es*. Alii *hoc*, quod gratiâ carminis tantum retinendum videtur: Nam illud certe et ſyntaxi et ſententiâ eſt potius.

(*) Ex Epimythio quod fabellae apponitur:

Miremurque magis quos munera mentis adornant,
Quam qui corporeis enituere bonis.

(1) *Corpore*. Vulgo *pectore*. Ego quidem neſcio quanta aliorum Codicum auctoritate utraque lectio nitatur; ſed quidquid ſit dubitari nequit, quin noſtrum longe potius ſit, et dicere auderem unum genuinum. Nam quod minus pulchrum animantibus brutis pectus eſt.

(2) Ibat *mire*, vel potius. Ibat *Imire*. Utrumque enim ex forma literarum legi poteſt in Codice. Sed utrumque corruptum apparet. Neque alia MSS. potiora exhibent. Duo apud Cannegiet. *Ibat mira*, alius

Sed quia (3) *nulla graves variarent terga Leones,*
Protinus his miſerum credidit eſſe genus.
Cetera ſordenti damnans animalia vultu,
Solus in exemplum nobilitatis erat.
Hunc arguta novo gaudentem vulpis (4) *amictu*
Corripit, et vanas comprobat (5) *eſſe notas.*
Vade, ait, et pictae nimium confide iuventae,
Dum mihi conſilium pulchrius eſſe queat.

35. FAB. XLI. num. 84.

IMBER ET TESTA.

Quam periculoſum ſit Principibus ſubeſſe (*).

Impulſus ventis et preſſa nube coactus,
Ruperat hibernis ſe gravis imber aquis.

lius *Ibat in via*, alius *Ibat intrat*. Porro Editio noſtra vetus habet *coeperat ire*. Vulgo eſt *ibat in arva*. Neveletus legit *reſpuit ire*. Cannegieterus ipſe *Spiret ut alta*. Quid tenebimus? Quiſque ingenio ſuo uratur.

(3) *Sed quia*. Hoc undecim alii Codices apud Canneg. et Editio noſtra vetus, Lugdunenſ. Genev. et Batava. Pauci alii libri *et quia*, vel *et quod*.

(4) *Gaudentem vulpis*. Ita legit Cannegieterus in ſex aliis Codicibus. Editio noſtra vetus habet *gaudentem vulpes*, quod in Aviano retineri poteſt. Nam inclinatis Latinis literis, voces exeuntes in *es* poſtremam corripuiſſe vel unus Prudentius teſtis eſt locuples Periſteph. XI. v. 189. Hamartig. v. 250. Pſychom. v. 508. Quamobrem temere Editor Batavus, et qui eum ſecuti ſunt emendarunt *vulpes dum gaudet*.

(5) *Comprobat eſſe*. Hoc pleraeque editiones, aliae *adprobat*. Cannegieterus *quin premis iſte*. Pulcherrima veteres libros tractandi ratio!

(*) Hoc argumentum deſumtum videtur ex epimythio Aviani, quod ſic ſe habet:

Haec

Quumque (1) *per effuſas ſtagnaret turbine terras,*
Expoſitum campis ſictile preſſit opus.
Nobile (2) *namque lutum tepidus prius inſtruit aer,*
Diſcat ut admoto rectius igne (3).
Tunc nimbus fragilis perquirit nomina teſtae,
Immemor illa ſui eſt (4), *amphora dicor, ait.*
Nunc me docta manus rapiente volumina gyro,
Molliter (5) *obliquum iuſſit habere latus.*
Hactenus hac, inquit, liceat conſtaſſe (6) *figura,*
Nam (7) *te ſubiectam diluet imber ait* (8).
Et ſimul accepto violentius amne fatiſcens,
Pronior in tenues (9) *victa cucurrit aquas.*
Infelix quae magna ſibi cognomina ſumens,
Auſa pharetratis nubibus (10) *iſta loqui.*

36. FAB.

Haec poterunt poſthac miſeros exempla monere,
Subdita nobilibus ut ſua fata gemant.

(1) *Quumque*. Alii libri *dumque*, vel *quoque*. Noſtrum praeſtat tum auctoritate tum ſententiâ.

(2) *Nobile*. Ceteri libri *mobile*, quod genuinum videtur.

(3) Hic deeſt vox *coqui*, non quod humore aliove pacto exciderit, ſed quod ſcripta non fuerit. Habent libri omnes. Iure: nam ſecus ſententia trunca eſt, ut verſiculus mutilus.

(4) *Eſt*. Hanc voculam alii libri non agnoſcunt. Parum intereſt.

(5) *Molliter*. Haec lectio receptiſſima. Editio noſtra vetus, et nonnullae aliae *molitor*. Mendoſe.

(6) *Conſtaſſe*. Vulgo legitur *conſtare*, non male; ſed noſtrum potius ſententia et ſyntaxis probant.

(7) *Nam*. In uno tantum Codice reperit *iam* Cannegieterus, quod pro ingenio ſuo probavit, ceteri omnes et ſcripti et editi noſtrum habuerunt.

(8) *Ait*. Aliqui ex libris editis *aquis*, quod rectius videtur. Interea bene alii octo Codices retinent illud apud Cannegieterum.

(9) *Tenues*. Duo Codices apud Canneg. *teneras*. Alii *liquidis*. Noſtrum longe potiori auctoritate nititur. Habet etiam Editio vetus.

(10) *Nubibus*. Alii *imbribus*. Noſtrum rectum, nam nimbus de quo loquutus eſt Auctor

36. FAB. XLII. num. 79.

LUPUS ET HAEDUS.

Duplici imminente calamitate magis illuſtrem eſſe appetendam.

Forte lupum melior curſu deluſerat haedus,
Proxima vicinis dum petit arva caſis.
Inde fugam recto tendens in moenia curſu,
Inter lanigeros conſtitit (1) ille greges.
Impiger (2) hunc raptor mediamque ſecutus in urbem
Tentat compoſitis ſollicitare dolis.
Nonne vides, inquit, cunctis ut victima Templis
Immiti ſacram (3) morte cruentet humum?

ctor iſtae nubes ſunt. Quin genuinum videtur. Cannegieterus enim adnotat: *Dicendum tamen eſt in antiquis omnibus, et editis pleriſque eſſe* nubibus *pro imbribus.*

(1) *Conſtitit.* Id quidem in multis libris mss. et editis legerunt Neveletus et Cannegieterus. Alii habent *adſtitit.* Utrumque rectum. Noſtrum tamen videtur potius ex proprietate verbi. Nam ii dicuntur *conſiſtere*, qui ex itinere vel fugâ ſubſiſtunt, et manent. Ita quidem Virgilius I. Aen. v. 632. Ovidius I. Faſtor. v. 489. V. v. 95. et 98., atque alii paſſim.

(2) *Impiger.* Hoc decem alii Codices apud Cannegiet. Tum Editio noſtra vetus Genev. et Batava. Ceteri libri *impius*. Noſtrum praeſtat, nam ardorem lupi in ſequendo haedo oſtendit, alterum inopportunum eſt. Neveletus legere malebat *Imminet huic*. Sed nulla auctoritate, nec ſatis recta ſententiâ. Nam haec verba animum ad rapinam et atrocia praeparant, quae tamen non fiunt.

(3) *Immiti ſacram.* Nullus fere locus eſt in toto Aviano, in quo alter liber ab alio ſic diſcrepet. *Immeritaque gemens. Immeritam propria. Immitem ire gemens. Immitem propria. Immitem revomat, Immitem redimens. Immitem regimens.* Editio Lugdunenſ. Genev. et Batava *Immeritaque gemens.* Noſtra vetus *Immitemque gemens*

Quod niſi (4) *ſecuro valeas te reddere campo*,
Hei mihi! vittata tu quoque fronte cades (5).
Ille refert: celeri te iſthinc nunc exime curſu (6),
Et tecum viles, improbe, tolle minas,
Nam fuerit ſatius (7) *Divis fudiſſe cruorem*,
Quam rabido fauces exſaturaſſe (8) *lupo*.
Sic quotiens duplici ſubeuntur (9) *triſtia caſu*,
Expedit inſignem promeruiſſe necem.

PARS IV.

ment. Alia *In meritam ſerva*. Cannegieterus tandem in textum recepit *Immerita pecudum*. Ex his autem omnibus maxima ex parte abſurdis et mendoſis lectionibus nonnullae ſunt, quae ſat commode teneri poſſunt. Sed et eis omnino praeſtare noſtra videtur.

(4) *Quod niſi*. Alii *quam niſi*, *vel quod ſi*, ſed minima auctoritate. Noſtrum genuinum videtur.

(5) *Cades*. Quatuor Codices, Canneg. teſte, *cadis*. Ceteri vero omnes libri et ſcripti et editi illud tenent.

(6) Verſiculus hic aliter vulgo legitur, et hoc pacto:

Ille refert: modo quam metuis, precor, exue curam.

Sententiâ, ut videtur, probabili, et commodâ. Id quidem verum eſt. Sed ſi et lectionis noſtrae ſententia egregia eſt et appoſita, quid praeferemus, quum verſiculi tantum invicem diſcrepent? Ego quidem nil certo decernere auderem. Dicerem tamen noſtrum potius, quam alium cum pentametro de quo nullum eſt dubium cohaerere, ut legenti patere arbitror. Praeterea *tollere* hic eſt *ſumere*, *auferre* ſecum abeundo vel fugiendo. Si autem antea nulla fugae mentio facta fuiſſet quomodo iſtud recte procederet? quomodo Auctor adderet *et*, ſcilicet *etiam*, *pariter*, *quoque tolle tecum minas*? Non iniuriâ igitur teneri et defendi poteſt lectio Codicis noſtri.

(7) *Fuerit ſatius*. Vulgo legitur *ſat erit ſacrum*. Sed noſtrum praeferendum videtur. Nam *ſacrum* parum opportunum eſt, et vox *quam*, quae ſequitur compatativum, quod Grammatici vocant, poſtulat. Batavus *et ſatius* edidit.

(8) *Exſaturaſſe*. Alii *exſaturare*. Noſtrum potius; nam paullo ante eſt *fudiſſe*.

(9) *Subeuntur*. Ita MSS. pleraque, et multae editiones, Cannegietero teſte. Alii libri ſed longe pauciores *ſubduntur*, quod tamen Neveleto et Pithoeo placuit. Sed, doctorum virorum pace, et ſententiâ ac proprietate noſtrum eſt potius.

PARS IV.

NICOLAI PEROTTI

CARMINA.

NICOLAUS PEROTTUS

PONTIFEX SIPONTINUS

TITO MARINO VELTRIO

VITERBIENSI CONCIVI SUO.

S. P. D. (*)

Quod poſt *epiſtolas noſtras*, *quas tanto*pere laudas, *verſiculos etiam noſtros* addideris, et in unum *libellum diſpoſueris* habeo tibi *immortales gratias*. *Intelligo* probe *quanti noſtra omnia facias*, *quam nos ames*, *quantum laudi et gloriae noſtrae conſulas*: *Sed providendum tibi eſt*, *ne cuius immortalitati tantopere ſtudes*, *eius praeſenti exiſtimationi non mediocriter detrahas*. *Sunt enim*, *ut ad te alias de Epiſtolis ſcripſi inter verſiculos noſtros aliqui*, *quos olim adoleſcentes luſimus*, *qui ſi hac aetate et profeſſione noſtra ſcripti a nobis viderentur iure fortaſſe reprehenſione digni putaremur*. *Relate vero ad eam aetatem nihil*, *quo* culpentur, habent . . . . . Nam uſurpatum id etiam fuit a *potioribus Poetis*, *qui* huiuſmodi ante *Pontificatus dignitatem* plura tentarunt, *quam poſſet exiſtimari*. Id autem ideo *dicimus*, *ut intelligant legentes*, *quod*

(*) Verba Codicis.

adole*ſcentibus nobis*, *et nulla ad*huc dignitate *praeditis exciderint*, *quam* iſtâ *aetate ſcripta ſint. Verum niſi* me *animus fallit longe plura in eis erunt, quae laudari merito poſſint, quam quae ſine livoris ſuſpicione reprehendi; quemadmodum ex ipſo me contemplari quiſque facile poterit. Vale, et me, ut facis, ama.*

NI-

NICOLAI PEROTTI

CARMINA.

I. num. 3.

De virtute ad Lentulum.

Virtuti incumbe, virtutem amplectere ſolam;
Ingeniique decus corporis adde bonis.
Virtus eſt omni longe pretioſior auro,
Virtus cultores tollit ad aſtra ſuos.
Virtus dumtaxat noſtra eſt, nec bella, nec ignes,
Nec timet illa homines, nec timet illa Deos.
Cetera, ſi bona ſunt, non ſunt, o Lentule, noſtra;
Nam Fortuna ſuo datque, rapitque modo.

II. num. 14.

Ingenio aliquando ſuperari naturam.

Unum oculis, alium pedibus Natura carentem;
Informemque ſuis fecit utrumque malis.
Ingenio ſuperant iniuſtae damna novercae,
Conſulit et vitae doctus uterque ſuae.
Fert humeris claudum coecus, graditurque viciſſim,
Illius iſte oculis, huius et hic pedibus.

II.

III. num. 23.

Apte verbum pro verbo aliquando poni.

Caeſaris ante pedes, toto ſpectante Senatu,
Signa magiſterii, Docte, ferenda petis.
Verum dum primas conaris promere leges,
Deficis, et recte vix duo verba refers.
Ad quod ſubridens, neutroque in iure magiſter
Eſto, Caeſar ait, ſic tibi ſigna damus.
Argento atque auro digitos, et tempora lauro,
Lanigeroque ſimul iam grege cinge caput.

IV. num. 24.

Anſeres ad eum qui ludo calculi victus miſerat, remiſſi, duobus eunuchis pullis additis, ita loquuntur:

Ecce Sipontini iuſſu tua dona redimus,
Ite, ait, ad veſtras turba repente domos.
Non haec victrici debentur praemia dextrae,
Non haec ingenio praeda petita meo eſt.
Digna magis roſtro milvi lacerarier unco,
Quam mitis tenero Principis ore premi.
Addidit et geminos nobis ſine teſte volucres,
Quo ſic venturis tutius eſſet iter.

V.

V. num. 26.

Ad Paullum Benignum Aenigma.

Bis ſex unius nati ſunt, Paulle, parentis,
Diverſos illos moribus eſſe ferunt,
Unicuique horum ter denas eſſe puellas;
Praeſtantes formâ corporibuſque pares.
Sed tamen eſt illis oris diverſa figura,
Alba haec, illa nigra, haec pallet, at illa rubet.
Sunt immortales omnes, moriuntur et omnes.
Hoc nobis quid ſit, Paulle Benigne, refer.

VI. num. 28.

Epitaphium Jacobi Veronenſis.

Invida fata mihi fidum rapuiſtis amicum;
Ad ſuperos dignus qui veheretur erat.
Iſta Deûm pietas! auferre heu ſidera mundo!
Atque ea ſupremi ponere in arce poli.
O utinam noſtro redimi vel funere poſſes,
Vel me ad te celeri ferre, Jacobe, gradu.

VII. num. 30.

Ad Amicum abſentem.

Dulcis amice, redi, ſi te promiſſa fides, ſi
Dique movent teſtes, dulcis amice, redi.

Dul-

Dulcis amice, redi, nocet haec abſentia nobis,
Nec datur ulla quies, dulcis amice, redi.
Dulcis amice, redi, ſat te tenuere parentes,
Et natale ſolum, dulcis amice, redi.
Dulcis amice, redi, nec te germana retardet,
Nec cari fratres, dulcis amice, redi.
Dulcis amice, redi, patriamque relinque, lareſque,
Et nemora, et rivos, dulcis amice, redi.
Dulcis amice, redi, nec noſtra eſt barbara tellus,
Nec deſunt rivi, dulcis amice, redi.
Dulcis amice, redi, non deſunt praedia nobis,
Non deſunt fontes, dulcis amice, redi.
Dulcis amice, redi, ſunt hîc ridentia prata,
Et luci, et ſaltus, dulcis amice, redi.
Dulcis amice, redi, flectant te vota, preceſque,
Quaeque fluunt lacrimae, dulcis amice, redi.
Dulcis amice, redi, ſine te mihi nulla voluptas,
Turbida ſed vita eſt, dulcis amice, redi.
Dulcis amice, redi, ſpes, et ſolamen amici,
Dulcis amice, redi, dulcis amice, redi.

VIII. num. 35.

De Divitiis et paupertate ad Andream Contrarium Venetum.

Contrari, *indoctis omnibus contrarie,*
Et gratus doctis, et cui grati ſunt docti,
Quem tot ſimul ornant naturae munera,
Ingenium cui dives, et ubertas linguae,

Qui

Qui es tam diſertus; *voce* ut *placares feras*,
Et imis *mortuos traheres ſepulchris*.
Qui quodcumque libet docta pingis manu,
Polygnoto maior, *atque Aglaophonte*,
Et Zeuxim ſuperas atque Paraſium (ſic),
Protogenemque, *Pamphilumque*, *et Melantium*;
Theonemque Samium, *Euphranoremque*,
Cui ſponte doctus palmam daret Apelles:
Quid ſaevam tantum paupertatem quereris?
Nec facit bonos illa nec facit malos,
Obſuntque ſaepius, *quam proſunt divitiae*,

IX. num. 39.

Ad Caeſarem de Laurea.

Cinxiſti viridi, *Caeſar*, *mea tempora lauro*,
Ecce meas ornat ſacra corona comas.
Non mea me virtus tali nunc munere dignat,
Dulce ſed exhibuit Principis ingenium.
Diique Deaeque, *precor*, *pro me*, *mitiſſime Caeſar*;
Perſolvant meritis praemia digna tuis.
Aſt ego quo tali ſim tibi munere gratus,
Extollam laudes ſemper ad aſtra tuas.

X.

X. num. 41.

Ad Argentinum.

Si cupis aeſtivae vitare pericula flammae;
Perque ſalutiferos ducere ſaecla dies.
Omnia, crede mihi, ſunt, Argentine, cavenda,
Quorum principium littera ſexta facit.

XI. num. 44.

Ad Pyrrhum Perottum.

Impius, immitis, crudelis, perfidus, excors,
Immanis, durus, trux, ferus, aſper, atrox;
Sanguineus, dirus, crudus, truculentus, acerbus,
Saxeus, indomitus, ferreus, urſus, aper.
Infamis, rabidus, frendens, adamantinus, horrens,
Turbidus, inſanus, teter, iniquus erit:
Qui non perpetuo nomen veneretur honore
Digno, Pyrrhe, *tuum, teque, Perotta domus.*

XII. num. 46.

Apoſtropha ad Urbem Viterbium.

O nimium felix tellus praeclara, Viterbi,
Pone graves curas, tempora laeta tibi.
Hîc iam depoſitis habitat concordia telis,
Hîc belli tandem ianua clauſa manet.

Qui

Qui modo pugnabant iungunt pia pectora secum,
Tendentes placidas in ſua colla manus.
Nunc amor et pietas noſtra dominantur in urbe;
Aſperitas, odium, murmura, bella iacent.
Nullae nunc lites, nec amarae iurgia linguae,
Verus nunc amor eſt, qui modo fictus erat.
Cerne triumphales ludos, cerne inclita feſta,
Quae celebrant pulchris pignora noſtra locis;
Hi dulces fructus ſunt, haec ſpectacula pacis,
Qualia vix umquam ſaecula priſca dabant.
Vive igitur felix tellus praeclara, Viterbi,
Et teneas faciles in tua vota Deos.

XIII. num. 47.

De amore ſuperato.

Cerne triumphales circum mea tempora lauros;
Impoſuit capiti Caeſar utraque manu.
Quaeris quae tanto victoria digna triumpho.
Extiterit, noſtra eſt arte repulſus amor.

XIV. num. 48.

In apparatu aulae Regis Alphonſi.

Quidnam ſiderei regnum miramur Olympi,
Optamus ſacras Coelicolumque domos?
Si ſapient potius . . . . . .
Alphonſi ſedes, ſacraque tecta petent.

Hîc

Hîc coelum, hîc divum ſolium . . . . . .
Caeſareque, et ſolo Regia digna Deo.

XV. num. 51.

Ad Nicolaum V. Pontificem Maximum.

Edere dum noſtros properabam forte libellos,
Parvaque iam domino munera ferre meo.
Incidit in podagram dominus, ſaevoque dolore
Vexatus clauſas continet uſque fores.
Sic miſer ante fores ſedeo, ſto nocte dieque,
Atque veni nemo, vel mihi dicit, abi.
Dî potius tantos in me transferte dolores,
Salvaque Pontificis reddite membra pio.
Namque aliter podagrâ triſtis chiragrâque laboro:
Nil moveor podagra eſt, nil capio chiragra eſt.

XVI. num. 52.

Epitaphium Caeſaris.

I nunc, et rebus animos extolle ſecundis,
Qui modo Caeſar erat putrida terra iacet.

XVII. num. 58.

Epitaphium Zucarinae catellae amoeniſſimae.

Nomina cui dederant dulces ex arundine ſucci;
Extremum clauſit pulchra catella diem.

Can-

Candidior cycnis fuerat, niveisque liguſtris,
Voce minax, quamquam corpore parva foret:
Inque fores ſaevis ardebat dentibus, inque
Notos alludens placida mitis erat.
Mox periit poſtquam bis quinque peregerat annos,
Deliciae domini, blanditiaeque domus.
Et cui iam dederat formoſa Bononia vitam,
Attulit heu! miſeram barbara terra necem.

XVIII. num. 62.

Epitaphium Scylli catuli.

Eſt natale ſolum nobis Florentia, nomen
Scyllus, ſarcophagum maxima Roma dedit.
Quinque mihi vitae finem nova luſtra tulerunt,
Attamen aeternus carmine vatis ero.

XIX. num. 63.

Epitaphium Ptolemaei e Graeco translatum.

Mortalem vitam, perituraque membra dedere
Fata mihi, et ſummum praeſtituere diem.
Sed tamen ambroſia veſcor, terramque relinquo,
Ingenio curſus dum noto ſidereos.

XX. num. 68.

Epitaphium Julii Aſtrologi.

Extinctum dulces quidnam me ſletis amici,
Atque immaturam dicitis eſſe necem?
Innumeris hominum ſubiecta eſt vita periclis,
Fataque cuique ſuam praeſtituere diem.
Quod nobis fuerat conceſſum viximus, at nunc
Acciti debitum ſponte ſubimus iter.
Deſtituit terras animus, coelumque reviſit,
Quae coluit vivens functus ut aſtra colat (*).

XXI.

(*) Huic Epigrammati praefixa eſt huiusmodi *Epiſtola ad Dionyſium Veronenſem.*

Legi verſiculos tuos, Dionyſi, elegantes, politos, et terſos, amoremque tuum in doctiſſimum Virum Julium Aſtrologum praeſeferentes, quos minime neceſſe fuit, ut diſcuteremus, quod a nobis petiiſti, quum non egeant limâ. Cudimus autem noſtros, non quod virtuti illius reſpondere, vel tuos exaequare nos poſſe crederemus, ſed ut tibi gereremus morem, quem ante cepimus amare, quam novimus. Tu ita eos legas, ut ſi quid in his tibi diſplicuerit, maluiſſe nos parendo displicere, quam tergiverſando, tibi perſuadeas. Vale.

XXI. num. 70.

Quanta ſit verorum amicorum penuria.

Socrates exiguas aedes dum forte pararet,
E turba quidam talia verba refert:
Quidnam tam parvas vir tantus conſtruis aedes?
Impleat hàs utinam! verus amicus, ait.

XXII. num. 75.

Laus Pii (II) *Pontificis maximi.*

Nunc opus, audaci faveas, Parnaſſia, vati,
Adgredior noſtris viribus impar opus.
Quis numerare Pii poſſit praeconia laudum,
Centenis pateant quamlibet ora ſonis?
Illum fama vehit magni trans aequora ponti,
Et Populi toto iugiter orbe canunt.
Notus eſt Heſperiis Pius, eſt et notus Eois,
Quaque calor ſaevit, quaque pruina riget.
Sed me conſtricta ſpectatis fronte Camenae,
Iratumque mihi cerno ſupercilium.
Adverſis muſis, et Apolline ſcribo ſiniſtro,
Materiam nec ſe ſert Pius eſſe meam.
Deſtituor . . . . . .
Se mihi verba negant, deſerit illa . . . . . .
At neque Te poſſum deſcribere carmine . . . . .
Vel loquar ore Dei, vel magis ille . . . . .
Non es habendus homo, ſed maximus heros,
Vix foret hic ubi tu, ſi Deus eſſet . . . . .

Namque Tibi pariter blanditur amicus et hoſtis,
Hic timet eſſe quod hic, optat hic eſſe quod hic.
Conſtituit virtus omnem ſeſe omnis in uno,
Praeclarum certe compoſitura decus.
Et ſuperi dum te dignum ſe reddere . . .
Nec voluere hominem, nec potuere Deum.
Sed dudum Coelo ſecum dubitante quod eſſes,
Factus es ex mixto numine mixtus homo.
Hinc ſuperis ſimilis Mundi nunc ſceptra gubernas,
Et ſunt ſub tali ſaecla beata Duce.
Indomitum nihil eſſe Pio iam diſcimus omnes,
Sed nec poſt iras deſinis eſſe Pius.
Et ſcelerum domitor, multae et pietatis abundans,
Qua ſuperas, victos protegis atque manu.
Hinc tibi nunc omnes pueri, iuveneſque, ſeneſque
Expoſcunt votis ſaecula longa tuis.
Tu modo vive diu, nec te mora longa fatiget,
Haud fruſtra eſt noſtrûm *creditа cura tibi,*

XXIII num. 80.

De Saxoferrata.

Urbem Sentinam veteres dixere Latini,
Saxoferratum ſaecula noſtra vocant.
Hinc quia progenies gentis fuit orta Perottae,
Saxea quae nimis eſt, ferrea quaeque nimis.

XXIV.

XXIV. num. 81.

De Papa Pio diſtichon.

Papa Pius longo producat ſaecula curſu,
Felix ſub tali Principe mundus erit.

XXV. num. 86.

De aſparagis et lacte.

Meiere Vallæ cupit, nec quit, cupit Anna ca....
Ille edat aſparagos, lac bibat iſta caprae.

XXVI. num. 87.

Ad Brigidam Iurisconſultum, quem licet victor donaverat Poeta.

Vincis carminibus, vincis me, Brigida, donis,
Et vincis ludis, vincis et ipſe iocis.
Nam vincit quisquis victricia ſigna reportat;
Signa refert quiſquis, Brigida, dona refert.

XXVII. num. 88.

Ad Julium tetraſtichon.

Aurea ſunt nobis quae mittis munera, Juli,
Aureus eſt crater, aurea poma, puer.

Omnia quum, Juli, ſint aurea, neſcio quid ſit,
Quod remanet dulce eſt, dulcius eſt quod abit.

XXVIII. num. 97.

Epitaphium Pierii Antonii Bentevolei.

Pierius iacet hîc facundi Antonius oris,
Splendida quem genuit Bentevolea domus.
Occidit heu! iuvenis luſtris vix quinque peractis,
Moribus at pulchris, et gravitate ſenex.
Claruit ingenio, dicendi claruit arte,
Huic natura bonum quod fuit omne dedit.
Dulcis erat, doctuſque *ſimul, ſeu carmina vellet*
Scribere, ſeu vellet verba ſoluta modis.
Et coluit mira ſemper pietate parentes,
Voverat et totus Principis eſſe ſui.
Hunc ſolum plena *fide, ſtudioque ſecutus,*
Et nil Nicoleo principe maius habens.
Hinc adeo charus domino, ut nil carius eſſet,
Juſſus ob hoc tumulum condier ante ſuum.

XXIX. num. 98.

Epitaphium Federici Bentevolei fratris.

Pierii frater ſaxo Federicus *eodem*
Clauditur: Heu! fato raptus uterque pari eſt.
Fratre minor fuerat, virtute atque artibus idem,
Atque idem morbus finis utrique fuit.

Occu-

Occupat hunc febris poſt fratrem luce ſequenti,
Et decima fratrem luce ſecutus obit.
Principis heu! qualis luctus, moerorque parentum,
Praeteriit ſiccis funera nemo genis.
Aſt velut hac illi concordes luce fuerunt,
Sic nunc unanimes ſidera clara tenent.
Corporibuſque velut terrâ requieſcit uterque,
Sic animis Coelos ſanctus uterque colit.

XXX. num. 104.

De Pio Pontifice Maximo diſtichon.

Quam ſub Rege Pio nulla eſt felicior aetas.
Eſt pius ille bonis inpius ille malis.

XXXI. num. 139.

Theognidis verſus de fide in ſeditione ſervanda e Graeco translati.

O Cyrne, argento longe praefertur et auro,
Qui ſervat tetra ſeditione fidem.

XXXII. num. 140.

Verſus Homeri de immutabili neceſſitate mortis e Graeco translati.

Mortalis nemo fugit decreta ſororum,
Improbus atque probus debent ſua corpora morti.

XXXIII. num. 142.

Verſus Parmenidis de ente finito ex Graeco translati.

Eſt et idem per ſeque manens ens ſemper eodem
Immotum fixumque ſimul vis magna neceſſi,
Implicat hoc circum, ſummo quoque fine coercet.
Quod ſi fine vacet nequaquam dicimus eſſe,
Si quid namque deeſt, opus eſt ens omne deeſſe.

XXXIV. num. 143.

Eiuſdem verſus de Elementis rerum.

Principio duplicem ſtatuerunt dicere formam,
Altera ſed minus eſt tali cognomine digna.
Quod ſimulans verum fallit mortalia corda,
Has contra adverſo poſuerunt ordine metas,
Hic flammam aetheream ſtatuunt raramque levemque,
Ipſa ſui ſimilis, ſemperque ſibi undique conſtat,
Illic obſcuram adverſantemque, indeque ponunt
Incomtam . . . . . , gelidam, denſamque . . .

XXXV. num. 145.

Verſus Solonis e Graeco translati de divitiis et virtute.

Saepe malus dives, ſaepe eſt pauperior . . . .
. Aſt ego virtutem praefero divitiis.

Illa

Illa viget ſemper florenſque et vivida claret,
Has Fortuna ſuo datque rapitque modo.

XXXVI. num. 146.

Epitaphium Platonis e Graeco translatum.

Sol genuit terris Epidaurion, atque Platona,
Hunc animis, illum corporibus medicum.

XXXVII. num. 147.

Epitaphium Virgilii Maronis a Nicolao Perotto compoſitum.

Paſcua qui cecini, cecini qui rura, Ducesque
Hoc claudor tumulo, mens tamen aſtra tenet.

XXXVIII. num. 148.

Epitaphium Virgilii Maronis a Nicolao Perotto compoſitum.

S . . . . . us ſuit hic . . . . . demone vates,
. . . Siculuſque ſuit, Maeoniuſque ſimul.
Sicanus ſuit in ſilvis, laetis Aſcraeus in arvis,
Maeonius tandem dum fera bella canit.
Quod tres praecipui Graiorum habuere Poetae,
Unus, vix credas, hoc Maro noſter habet.

XXXIX.

XXXIX. num. 150.

De Coco ignaviſſimo ad Amicum.

Talia quod ſemper ſint nobis fercula quaeris,
Nempe quod eſt talis ſemper et ipſe coquus.
Corde niger, fumum redolens, fuligine cinctus,
Quum videas faciem cacabus aiser adeſt.
Namque ſuum miſero tradiderunt arma colorem,
Frixuriae, cucumae, ſcapha, patella, tripes.
De flammis ardente manu dum corripit eſcas,
Ne doleat multo providet ante mero.
Sed verſu indignus potius carbone notetur,
Et turpem referat turpis imago virum.
Si quaeras tanto tolerem cur tempore monſtrum hoc,
Plus viſcella coqui, quam mea iuſſa valent.

XL. num. 152.

In perſonam Pyrrhi filii fratris endecaſyllabos poſt cenam offerentis ſedentibus.

Felices animae quibus per . gn . .
Et poenas varias, decuſque vitae,
Celſa ſcandere contigit Tonantis.
En me purpureis ſtolis amictum,
Geſtantem aſpicitis fidele pignus,
Dulces endecaſyllabos Parentis.
Hunc iam praeſidio fovere veſtro,

Atque

Atque iſtos placeat pios Poetas,
Dum reddent paribus pares Camoenas (*).

XLI. num. 154.

Omnia in hoc Mundo vana eſſe.

Eſt mihi nobilitas generis clariſſima? Quid tum?
Eſt mihi forma decens, dulciſque facundia? Quid tum?
Eſt domus, et opes, et regia ſplendida? Quid tum?
Ingenium, et linguae eſt utriuſque peritia? Quid tum?
Et me Roma legit, tollitque ad ſidera? Quid tum?
Caeſaris eſt nobis ſubiecta potentia? Quid tum?
Pontificis ſacri geſtabo inſignia? Quid tum?
Omnia mors nobis fatis urgentibus aufert.

XLII.

(*) *Reſponſum Domitii Veronenſis:*
Magnos quis putet aure pertinaci
Nobis eſſe Deos (†), *boni Parentis*
Dum Pyrrhus recitat perenne carmen,
Et ſanctis bene Vatibus precatur.
O vivas Pylii Ducis per annos,
Tithoni Patruus Deos rogamus.
Ut poſſit ſenior ſenem videre,
Cui tantam tenero moves ſub aevo,
Spem dulces modo floſculos habenti.

(†) Scilicet Poetarum praeſides. Ovidius VI. Faſt. v. 5. *Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.*

XLII. num. 155.

De milite furibundo.

Atrox, turbidus, insolens, profanus,
Pastus sanguine carnifex humano,
Attollit caput ignibus cruentum,
Ut saevus coluber madens f . . . . .
Multo sanguine quem . . . . . .
Ensem corripit et tenet cruentum,
Ut vitam rapiat viris duobus.
Quum magnus miseros timor feriret,
Quaerunt praesidium statim suorum,
Lamentisque rigant genas madentes.
Solvunt brachia quae Deum precentur.
Certant officiis pii sodales,
Magnis gressibus irruunt in hostem,
Tollunt arma manu, repenteque illum
Ferro percutiunt. Furens tyrannus
Extemplo cecidit peremtus armis;
Illis sed pietas Dei pepercit,
Et finem dedit anxiis querelis.
Ergo quisque sibi paret sodales,
Quorum praesidio ferat salutem,
Quando est obvius anxiis periclis.

XLIII. num. 156.

De vero Deo, et vera Fide ac Religione ad Pomponium.

Ex Aurelii Prudentii ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝ Hymno X.

Vos doctos decet atque eruditos viros
Pomponi, vitae quos gubernat regula,
Aperire *vel divina vel mortalia,*
Quo iure conſtent, quanta Maieſtas regat.
Quidquid creatum eſt, quae creavit, omnia,
Deus perennis res inaeſtimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur,
Excedit omnem mentis humanae modum,
Nec comprehendi viſibus noſtris valet.
Et cetera uſque ad verſiculum:
Nec excitari vim ſinit prudentiae.

XLIV. num. 157.

Ad Iulium Pomponium.

Ad cenam propera beatiorem,
Quam, Iuli, tibi, dulcibuſque muſis,
Quas tecum comites ſoles habere,
Vates ruſticulus libens paravit.
Non turdos, neque delicatiores
Spectabis volucres veru crepantes,
Non apri veteris iecur tenellum,

Non

Non plenos calices nigri ſalerni,
Sed cernes hilares meos ocellos,
Et plenam ſalibus, facetiiſque
Menſam candidulis tibi decoram,
Nullis ſordibus inquinatiorem.
Dulces endecaſyllabos miniſtrant,
Necnon molliculos canunt amici,
Convivae ſimul elegante lingua
Tollent verſiculos ad aſtra cantu.
Aſtabit chorus ex utroque ſexu.
Vates aſpicies, ſimulque muſas
Pulchre pſallere fervidis medullis,
Pomponi, propera diu moramur.

XLV. num. 149.

Oraculum Apollinis de Iſthmo

A Nicolao Perotto e Graeco in Latinum converſum (*).

Sintne futura diu, Patriaeque datura ſalutem
Moe-

(*) De iſta verſione nonnulla diximus in Diſſert. prael. §. XIX. Graecum vero epigramma a nobis diſtinctum et interpunctum huiuſmodi eſt:

Διζεαι μαθεειν Τριαινοκρατορος Αυλεης περι. Ουποτε ταινσιπεπλος εσηξει περιβολος, αλλαγε τειχεος ολοον εσσειται καρτος οικεν.

Μιν

Moenia Neptuni, cuius robuſta tridentem
Dextra quatit, magni ſcitaris numina Phoebi (1).

I. *Non*

Μιν εγειρωσιν, αυτοι κατερειψουσι. Δυσμορον κακομορον τοξοφορων Αχαιμενιδων παρα. Γενος ολειται τλημαθων Ελληνων, τεθνηξεται, δε, οτι πλειστον, οιωνοισι, τε πασι και θηρσιν ελλωρια γενησεται. Αλλα ηξει τισιος εκατογχειρος δικη Ποσσειδαονος. Δε ες βενθε αλος οιχομενου, μιξοβαρβαρων Εσπεριων τε, Εωων τε εθνων Αρχηγος Ισθμον τειχισει, λειοπωγων, πολυμηχανος ανηρ δουλοσυνης Ελληνων ταλαων υπερ τοξοφορων. Δε Υπερβοραιων μαρψει γενος κηρας τλημαθων Ελληνων, αξων αν Ελλαδα παφαν. Ακρα δε αοικητα μενει. Εν τριτατη δε μοιρα ξανθος μεροψ, γρυπος, πολιος βραχυς Ελληνων Αρχηγος Ισθμον τειχισει. Τυχη δε ουχ εσται παρα εν αυτω, γαρ ολειται παλιν τειχεων κρηδεμνα τοξοφορων ελκεσσιπεπλων παρα. Κουκεθ' εσσειται μενος Ελληνων Αρηιφιλων. Ηξει δε καυτοις καλκοποις Ερινυς πολυπους, και πολυχειρ, και καταλαβει μενος τουτων, οταν κονις πιθυν δεξεται, και πιθυς λιθρον. Τοτε κρατερος γενησεται περιβολος Ισθμον. Δικη δε ες Ελληνων γενος ουρανοθεν ηξει τυχης μετα. Και τους πριν αυτων αναιδεας ολετηρας υποθησει ζευγλη. Μακαρτατος δε εσιν ο τοτεταρτον Ισθμον τειχισων Ενοσειχθονος πεδον.

Haec

I. *Non poterunt longo ſubſiſtere tempore muri,*
Illorumque manu, qui conſtruxere peribunt.

Sae-

Haec κατα λεξιν data opera ſic vertimus:

Quaeris diſcere de domo Tridentipotentis (*Neptuni*). Numquam lato peplo ſimile ſtabit ſeptum: At certe pernicioſum erit habitare robur muri. Ipſum (*licet*) conſtruant, ipſi deſtruent. Luctuoſum malumque fatum a pharetratis Achaemenidis. Perdetur Gens Graecorum multa patientum, interibit, et, quod gravius, avibus omnibus et feris praeda et epulum fiet. Verum adveniet ultrix iuſtitia centimani Neptuni. Quo in profundo maris latente (*habitante*), Princeps noſtrarum et barbararum gentium Occidentis et Orientis Iſthmum moeniis cinget. Vir quidem glaber barbâ, induſtrie ſollicitus de ſervitute Graecorum miſerorum ſub Pharetratis. Gens autem Hyperboraeorum corripiet fata Graecorum multa patientum perdens totam Graeciam. Summitas (*murorum*) inhabitata manebit. In tertiâ autem diviſione (*temporum*) Homo flavus, adunco naſo, parvus Princeps Civitatis Graecorum Iſthmum muro circumdabit. Fortuna autem ei non aderit. Nam murorum pinnae iterum deſtruentur a Gente pharetrata et longis veſtibus amictâ; neque iam erit (*amplius*) robur Graecorum bellicoſorum. Veniet autem

in

Saevus Achaemenides gentem frenare Pelaſgam,
Graiorumque ſimul nomen delere laborat.
Eheu! quot Danaûm ſtagnabunt magna cruore
Corpora, quotque feras volucreſque cadavera paſcent:
Aſt tandem ultrices in ſeſe transferet iras (2).

---

in ipſos (*Barbaros*) Erynnis aeripes, multipes, multisque manibus inſtructa, et invadet robur eorum, quum pulvis pinum ſuſcipit, et pinus cruorem. Tum firmius fiet ſeptum Iſthmi. Iuſtitia ad genus Graecorum veniet de Coelo cum Fortunâ: et prius execrabiles homicidas ſubiiciet iugo. Ille erit feliciſſimus qui quarto Iſthmum Neptuni terram moenibus cinget.

(1) Perottus ad oram Codicis haec adlevit: *Xerxe cum innumerabili exercitu in Graecos irruente Lacedaemonii, ceteriique Peloponneſii rebus ſuis timentes Iſthmum moeniis munierunt, quod quum facturi eſſent Apollinis oraculum conſuluere. Hoc Oraculum quatuor habet partes, quarum tres quia praeterierunt apertiſſime intelliguntur, quarta quae futura eſt non ſatis poteſt intelligi.*

(2) *Haec prima pars Oraculi ſic intelligitur: Muro a Lacedaemoniis aedificato Xerxes, dimiſſo in Europâ Mardonio Duce cum tercentis militum millibus, domum rediit. Cum his congreſſi Graeci extra Peloponneſum iuxta Thebas victoriâ potiti ſunt, hoſteſque omnes, ut ex Graecis plurimi,*

II. *Poſtquam ſe liquidis Neptunus* condidit undis,
Occiduae Gentis Princeps et Gentis Eoae,
Cui tellus, ponuſque patent, et nulla viriles
Lambit barba genas, bello vir clarus et armis,
Graecia ne Scythicis ſuccumbat clara Tyrannis
Moenibus anguſtum rurſus circumdabit Iſthmum.
Mox ſed Hyperborei terrarum frena tenentem
Viribus impellent, Graecoſque in funera ducent:
Moenia ſic Danaûm rurſus deſerta iacebunt (3).
III.

---

rimi, in praelio ſunt occiſi. Quo facto Graeci iam ſecuri muros illos veluti minime neceſſarios in terram deiecerunt: Quae itaque in prima parte Oraculi continentur perfecta ſunt. Non diu ſtetit murus, eum iidem qui condiderunt everterunt. Achaemenides hoc eſt Perſarum gens multa Graecis intulit mala; de Perſis etiam ultio ſumta eſt. Perottus.

(3) *Secunda pars Oraculi. Senſus ſecundae partis hic eſt: Neptuno intra undas recondito, hoc eſt ſublato eius cultu, tempore Chriſtianorum Imperator Iuſtinianus non ferens barbam more Latinorum potens Princeps, tempore quo Gothi per omnem graſſati ſunt Europam, ne ſub eorum ſervitutem redigerentur Peloponneſii Iſthmon muravit; quae res parum opis attulit Graecis: Hyperborei enim hoc eſt Gothi et Scythae nihilominus omnem Provinciam devaſtarunt.* Perottus.

III. *Hinc flavus Princeps, parvus, cui naſus obeſus,*
Et cani crines, dominanſque in gente Pelaſga
Tertius erectam muro circumdabit aulam.
Sed fortuna parum Graiorum facta ſequetur,
Quae novit mutare vices. Gens ſaeva ſubibit,
Praelongos induta habitus, iacularier arcus
Docta, ſacros muros Neptunia ſacra reſolvet.
Occidet heu! tandem Graiorum martia virtus (4).

IV. *At non barbaricae longo poſt tempore vires*
Durabunt, venient Furiae tunc impete vaſto,
Multipedes, multique manus, quîs ferrea membra.
Immenſum robur, promtaeque ad praelia dextrae,
Victorique cadet tandem *gens barbara ferro.*
Quum Pulvis Pinum capiet, Pinumque cruorem
Inſuperabilibus cingetur moenibus Iſthmus.
Iuſtitia e Coelo liquidas delapſa per auras,
Fortunâ ad Danaos veniet comitante ſecundâ;

(4) *Tertia pars Oraculi. Tertio loco Emmanuel Imperator, qui iam Graecorum tantum et nullius alterius gentis dominus fuit, taliſque extitit qualis deſcribitur, hoc eſt parvus, flavus, canus, naſum habens obeſum Iſthmon muravit. Huius tempore Turci longis veſtibus utentes ea moenia deſtruxere, et ita ruere coepit Graecorum genus, ut iam penitus extinctum ſit, quod futurum eſſe Oraculum pronuntiaverat.* Perottus.

Barbaricumque genus foediſſima ſub iuga mittet.
Felix qui quarto muris circumdabit Iſthmon (5).

NI-

(5) *Haec eſt quarta pars, quae quoniam futura eſt non ſatis poteſt intelligi. Illud plane intelligitur futurum eſſe, quartum, qui Iſthmi muros aedificet. Eumque fore feliciſſimum, et Turcorum gentem omnino perditum iri, armatâ manu id agente, et progeniem Graecorum turſus felicitatem recuperaturam.* Perottus.

NICOLAI PEROTTI
PONTIFICIS SIPONTINI
FABELLARUM
AD PYRRHUM PEROTTUM
FRATRIS FILIUM
INDEX

Incipit feliciter (*).

1. *Avarum et quod ſibi ſupereſt non libenter dare*. Part. II. Fab. 1.
2. *De his qui legunt libellum*. Part. II. Fab. 32.
3. *De virtute ad Lentulum*. Part. IV. Carm. 1.
4. *De Simonide Poeta: Et quod homo virtute et doctrinâ praeditus omnia ſua ſecum habet*. Part. I. Fab. 25.
5. *Non eſſe plus aequo petendum*. Part. II. Fab. 2.
6. *De eodem Fabella*, Part. III. Fab. 6.
7. *De eodem alia Fabula*. Part. II. Fab. 3.
8. *De malis vitae humanae ad Pyrrhum Graecum diſtichon*. (1) Humore corruptum eſt.
9. *De fide non adhibenda temere, et adhibenda opportune*. Part. I. Fab. 13.
10. *Longe praeſtare laborioſam ſine periculo vitam agere, quam molliter in otio mori*. Part. III. Fab. 30.

(*) Verba Codicis.

11. *De Veritate, et Mendacio*. Part. II. Fab. 4.
12. *Non facile cuique fidendum esse*. Part. III. Fab. 7.
13. *Nihil agendum esse quod non prosit*. Part. I. Fab. 20.
14. *Ingenio aliquando superari naturam*. Part. IV. Carm. 2.
15. *Oportere omnes sorte sua contentos esse*. Part. I. Fab. 21.
16. *Sua cuique naturaliter placere*. Part. III. Fab. 12.
17. *Licet simulata vitia interdum prosint, nihil tamen posse longo tempore occultum esse*. Part. II. Fab. 5.
18. *In omnibus rebus sensum aestimandum esse non verba*. Part. II. Fab. 6.
19. *Haud facile esse potentioribus resistere, nisi paullatim cedendo*. Part. III. Fab. 14.
20. *Dominos in rebus suis plurimum videre*. Part. I. Fab. 3.
21. *Tunc recte fieri a nobis omnia, quum per nos facimus*. Part. III. Fab. 16.
22. *Ratione potius quam oraculis agendum*. Part. I. Fab. 7.
23. *Apte verbum pro verbo aliquando poni*. Part. IV. Carm. 3.
24. *Anseres ad eum qui ludo Calculi victus miserat remissi, duobus eunuchis pullis additis, ita loquuntur*. Part. IV. Carm. 4.
25. *Haud insectandum esse fortunae vitium*. Part. I. Fab. 14.
26. *Ad Paullum Benignum aenigma de duodecim mensibus filiis, et triginta diebus nepotibus anni*. Part. IV. Carm. 5.

27.

27. *Ubi dubia eſt ſententia aſtu utendum eſſe.* Part. I. Fab. 16.
28. *Epitaphium Iacobi Veronenſis.* Part. IV. Carm. 6.
29. *Neminem debere ſe exornare falſis laudibus.* Part. I. Fab. 26.
30. *Verſus ſuaviſſimi ad amicum abſentem.* Part. IV. Carm. 7.
31. *Pravo favore ſaepenumero homines labi.* Part. I. Fab. 32.
32. *Fruſtra fieri vota, niſi nos ipſos iuvemus.* Part. III. Fab. 26.
33. *Acerba reprehenſio* in Avarum. Part. I. Fab. 23.
34. *Contra Avaros, et nimis cupidos homines fabella.* Part. III. Fab. 27.
35. *De divitiis et paupertate ad Andream Contrarium Venetum.* Part. I. Fab. 2. Part. IV. Carm. 8.
36. *Paupertatem cum libertate praeſtare ſummis divitiis.* Part. III. Fab. 31.
37. *Laſcivus iocus ad Theodorum.* (II) Tetraſtichon conſulto omiſſum.
38. *Relaxandum interdum eſſe iocis et ludis animum.* Part. I. Fab. 17.
39. *Ad Caeſarem de Laurea.* Part. IV. Carm. 9.
40. *De Oraculo Apollinis optimo atque ſanctiſſimo.* Part. II. Fab. 7.
41. *Ad Argentinum cavenda eſſe omnia quae ab F litera incipiunt.* Part. IV. Carm. 10.
42. *Ad Iacobum.* (III) Tria Perotti Diſticha humore corrupta. Iactura leviſſima.

43. *De iactantia Scriptoris se temere laudantis*. Part. II. Fab. 8.
44. *Ad Pyrrhum Perottum versus faceti*. Part.IV. Carm. 11.
45. *Quam saepe in rebus humanis fallatur humanum iudicium*. Part. I. Fab. 28.
46. *Gratulatio de Pace et tranquillitate Civium ad Viterbienses*. Part. IV. Carm. 12.
(*) *De Iudicio ferendo in rebus dubiis pulcherrima fabella*. Part. I. Fab. 16.
47. *De Amore superato tetrastichon*. Part. IV. Carm. 13.
48. *De admirabili apparatu Aulae Regis Alphonsi, quando Cardinalem Nicaenum ad coenam invitavit*. Part. IV. Carm. 14.
49. *Quam difficile sit de homine verum iudicium ferre*. Part. II. Fab. 9.
50. *De Atrebatum Pontifice post mutatam vestem, quae quasi rete contexta fuerat*. (IV) Perotti distichon omnino fere deletum.
51. *Ad Nicolaum V. Pontificem Maximum conquestio*. Part. IV. Carm. 15.
52. *Breve Epitaphium Caesaris*. Part. IV. Carm. 16.
53. *De mulierum continua et insatiabili libidine*. Part. II. Fab. 10.
54. *Non modo eum qui male agit, sed* etiam *qui suadet errare*. Part. III. Fab. 33.
55. *Quomodo a parentibus domanda sit ferox iuventus*. Part. II. Fab. 11.

56. *Qui minus cari ſunt, interdum mutata ſorte cariores effici*. Part. III. Fab. 29.
57. *De ſpeculo ab adoleſcentibus ſaepenumero aſpiciendo*. Part. I. Fab. 12.
58. *Epitaphium Zucarinae catellae ameniſſimae*. Part. IV. Carm. 17.
59. *Contra eos qui res optimas non intelligentes contemnunt*. Part. I. Fab. 15.
60. *Aliquando brevi dicto evitari iuſtam calumniam*. Part. III. Fab. 8.
61. *Quomodo comprimatur aliquando iactantia*. Part. II. Fab. 12.
62. *Epitaphium Scylli catuli*. Part. IV. Carm. 18.
63. *Epitaphium Ptolemaei e Graeco translatum*. Part. IV. Carm. 19.
64. *Quomodo ingenia ſaepenumero calamitate intercidant*. Part. II. Fab. 13.
65. *Debere ſeſe unumquemque metiri, neque alienis laudibus ſe fruſtra exornare*. Part. III. Fab. 3.
66. *Quanta ſit inconſtantia et libido muliebris*. Part. II. Fab. 14.
67. *Epiſtola brevis ad Dionyſium Veronenſem*. Part. IV. ad Carm. 20.
68. *Epitaphium Iulii Aſtrologi*. Part. IV. Carm. 20.
69. *Quam gravia mala ſaepenumero caſu eveniant*. (V) Perotti epigramma omiſſum, quod turpiuſculum, et plane inficetum.
70. *Quanta ſit verorum amicorum penuria*. Part. IV. Carm. 21.
71. *Ingenio et virtuti veram gloriam tribui*. Part. I. Fab. 4.

72. *Quomodo omnes in fortunam calamitatis cauſſam reiiciant*. Part. III. Fab. 10.

73. *Obſtare ſaepe homines naturalibus legibus, meritis capi*. Part. I. Fab. 18.

74. *De Puellâ longos pedes habente*. (VI). Omiſſum eſt breve Perotti Epigramma, ut ineptum, et paullo laſcivius.

75. *Laus Pii Pontificis Maximi*. Part. IV. Carm. 22.

76. *Non eſſe ſponte alicui faciendam iniuriam. Nam qui ſeſe humanitati non accommodant plerumque poenas dant ſuperbiae*. Part. I. Fab. 19.

77. *Induſtriane hominis praeſtet Leonis viribus, an e contrario*. Part. III. Fab. 19.

78. *Fortunam interdum praeter ſpem hominibus favere*. Part. III. Fab. 15.

79. *Duplici imminente calamitate honeſtiorem eſſe appetendam*. Part. III. Fab. 36.

80. *De Saxoferrato, quae Urbs apud Veteres Sentina dicebatur*. Part. IV. Carm. 23.

81. *De Papa Pio diſtichon*. Part. IV. Carm. 24.

82. *De Aquapendente oppido*. (VII). Sex Perotti verſus humore corrupti.

83. *Quam noceat ſaepe verum dicere*. Part. II. Fab. 16.

84. *Quam periculoſum ſit Principibus ſubeſſe*. Part. III. Fab. 35.

85. *De Diana et Hectore nanis*. (VIII) Perotti epigramma laſcivum, et ex parte deletum.

86. *Nimiam ſecuritatem ſaepe in periculum homines ducere*. Part. II. Fab. 17.

(*) *De aſparagis et lacte*. Part. IV. Carm. 25.

87.

87. *Ad Brigidam Iuriſconſultum, quem Poeta licet victor donaverat.* Part. IV. Carm. 26.
88. *Ad Iulium tetraſtichon.* Part. IV. Carm. 27.
89. *Prius faciendum de homine periculum, quam eius fidei te committas.* Part. II. Fab. 18.
90. *Eos qui ingenio valent, quam qui viribus aut pulchritudine corporis, magis admirandos.* Part. III. Fab. 34.
91. *Multum ſemper invidiae hominum pectora occupare.* Part. I. Fab. 24.
92. *Brevibus dictis retundi ſaepe aliquorum inſolentiam.* Part. III. Fab. 32.
93. *Non eſſe malo addendum malum.* Part. II. Fab. 19.
94. *Laborandum eſſe dum aetas florida eſt, ne adveniente ſenectute fruſtra aliorum auxilium imploremus.* Part. III. Fab. 28.
95. *Ferendum eſſe aequo animo quidquid acciderit.* Part. II. Fab. 20.
96. *Famem ſaepenumero acuere animantibus ingenium.* Part. II. Fab. 21.
97. *Epitaphium Pierii Antonii Bentevolei.* Part. IV. Carm. 28.
98. *Epitaphium Federici Bentevolei fratris.* Part. IV. Carm. 29.
99. *Verbis ſaepenumero homines decipi ſolere.* Part. II. Fab. 22.
100. *Etiam parvos aliquando maioribus obeſſe.* Part. III. Fab. 25.
101. *Nil ita occultum eſſe quod non reveletur.* Part. II. Fab. 23.

102. *Ubi pellis leonis deficit vulpinam inſuendam eſſe, hoc eſt, ubi deficiunt vires aſtu utendum.* Part. II. Fab. 24.

103. *Potentibus non facile reſiſti poſſe; quod ſi nefarius conſultor acceſſerit omnia peſſumdari.* Part. I. Fab. 1.

104. *De Pio II. Pontifice maximo diſtichon.* Part. IV. Carm. 30.

105. *Urbano dicto Principis iram aliquando comprimi, et his qui ſemel in peccato comprehenſi non abſtinent tandem pietate cedere.* Parr. III. Fab. 24.

106. *Quae non ſine ratione fiunt, ab his qui non intelligunt horrori haberi.* Part. III. Fab. 23.

107. *Non eſſe faciendam alicui iniuriam.* Part. I. Fab. 6.

108. *Luxurioſos etiam ſola luxuriae cogitatione delectari.* Part. I. Fab. 5.

109. *Aſpectu hominum ſaepe iudicium falli.* Part. I. Fab. 8.

110. *Male agentes proceſſu temporis puniri.* Part. I. Fab. 9.

111. *Vanas minas ſine virtute parum momenti habere.* Part. I. Fab. 10.

112. *Quantum prudentia viribus praeſtet.* Part. III. Fab. 22.

113. *Non eſſe improbi hominis conſilio credendum.* Part. III. Fab. 21.

114. *Incertâ ſpe perdere ſaepe homines quae certa habent; et provectos aetate aliquando a pueris decipi.* Part. III. Fab. 20.

115. *Quam dulcis ſit libertas*. Part. I. Fab. 11.
116. *Eos quibus permiſſa eſt rerum poteſtas poſſe bene et male agere*. Part. III. Fab. 18.
117. *Quanta ſit in hominum mentibus invidiae vis*. Part. III. Fab. 17.
118. *Quantum momenti habeat Pietas et Religio divina*. Part. I. Fab. 27.
119. *Quantum poſſit concordia, et quantum diſcordia obſit*. Part. III. Fab. 15.
120. *In tanta mortalium multitudine paucos eſſe homines*. Part. I. Fab. 22.
121. *Saepe in mediocri aſpectu maiorem eſſe virtutem*. Part. III. Fab. 13.
122. *Interdum homines metu maioris cedere etiam minoribus*. Part. III. Fab. 11.
123. *Multos in rebus ſecundis fortes eſſe, qui in dubiis ſunt timidi*. Part. I. Fab. 29.
124. *Natura qui imbecilliores ſunt ſemper timere*. Part. III. Fab. 9.
125. *Eis qui caſu peccant dandam eſſe veniam, qui vero conſulto delinquunt eſſe merito puniendos*. Part. I. Fab. 30.
126. *Vitandum ſemper eſſe periculoſum lucrum*. Part. I. Fab. 31.
127. *Multis ad ignominiam adſcribi quae ſibi laudi eſſe putant*. Part. III. Fab. 5.
128. *Multos laceſſere infirmiores, fortioribus autem cedere*. Part. II. Fab. 25.
129. *Detrahere ſibi fidem qui alios facere volunt quales ipſi non ſunt*. Part. III. Fab. 4.

130. *Nullum maledictum esse gravius conscientia.* Part. II. Fab. 26.

131. *Viribus potius fidendum esse, quam minis.* Part. III. Fab. 2.

132. *Multos verbis blandos esse, pectore infideles.* Part. II. Fab. 27.

133. *Nullam esse mulieribus habendam fidem.* Part. III. Fab. 1.

134. *Multa nobis esse iocunda, quae tamen sunt incommoda.* Part. II. Fab. 28.

135. *Multi viverent, si salutis gratiâ parvifacerent fortunas suas.* Part. II. Fab. 29.

136. *Non praeteritam, sed praesentem aspiciendam esse fortunam.* Part. II. Fab. 30.

137. *Pravis non esse fidem adhibendam.* Part. II. Fab. 31.

138. *De Gallo Aethiope servo Pyrrhi Perotti cum puellâ deprehenso.* (IX). Epigramma Perotti obscoenum et humore vitiatum.

139. *Theognidis versus de fide in seditione servandâ e Graeco in latinum translati.* Part. IV. Carm. 31.

140. *Versus Homeri de immutabili necessitate mortis e Graeco translati.* Part. IV. Carm. 32.

141. *Melissi versus de primo Ente e Graeco translati.* (X). Pauci sunt, et magna ex parte deleti.

142. *Versus Parmenidis de Ente finito ex Graeco translati.* Part. IV. Carm. 33.

143. *Eiusdem versus de Elementis rerum.* Part. IV. Carm. 34.

144.

144. *Eiuſdem verſus* quatuor *de Ente immobili.* (XI) Humore corrupti.
145. *Verſus Solonis e Graeco translati de divitiis et virtute*. Part. IV. Carm. 35.
146. *Epitaphium Platonis e Graeco translatum*. Part. IV. Carm. 36.
147. *Epitaphium Virgilii Maronis a Nicolao Perotto compoſitum*, Part. IV. Carm. 37.
148. *Epitaphium Virgilii ab eodem Nicolao Perotto compoſitum*. Part. IV. Carm. 38.
149. *Oraculum Apollinis de Iſthmo e Graeco ab eodem in latinum converſum*. Part. IV. Carm, 45.
150. *De Coquo ignaviſſimo*. Part. IV. Carm. 39.
151. *De eodem Coquo*. (XII). Breviſſimum Perotti epigramma humore corruptum.
152. *Endecaſyllabi a Pyrrho fratris filio in convivio recitati*. Part. IV. Carm. 40.
153. *Ad Siſmundum qui febri vexatus votum Beato Hieronymo fecerat*. (XIII) Perotti Phaleucium ſitu vitiatum.
154. *Omnia in hoc Mundo vana eſſe*. Part. IV. Carm. 41.
155. *De milite furibundo*. Part. IV. Carm. 42.
156. *De vero Deo et vera Religione ad Pomponium*. Part. IV. Carm. 43.
157. Ad Iulium Pomponium. Part. IV. Carm. 44.

523884

52 3884